HIEREMIAE SETSERI SILES. ... DE CONSILIIS ET CONSILIARIIS PRINCIPP. ET RERUMPUBL. DEQUE...

Jeremias Setzer, Gottfried von Wolffersdorff

Digitized by Google

JLLVSTRISSIMO
Celſiſſimoq́; Principi ac
Domino:

D. FRIEDERICO GVI-
ELHELMO, DVCI SAXONIÆ,
Tutori, & Electoratus Saxonici Adminiſtra-
tori &c. Landgravio Thuringiæ, Mar-
chioni Miſniæ &c. Domino ſuo
clementiſsimo:

Has diſputationis publicæ
concluſiones,

In { *Devotæ ſubiectionis* & *Debitæ gratitudinis* } *teſtificationem,*

Humilimo animo

Dicando conſecrat,
Conſecrando addicit,
Addicendo offert

Gothofridus à VVolffersdorff
Joh. fil. R.

Deo præeunte

De Conſiliario ſive Senatore optimo:

Diſcurſus Politici

ASSERTIO I.

QVEMADMODVM in rebus privatis rarò nobis ipſi ſufficimus, ſed ſapientiſsimus quisq; aliorum ſæpè prudentia eget, medicorum ægrotantium more, qui alios ſibi adhibent medicos: Ita multò minus conſilio aliorum carere poterunt ij, quibus multi populi, & infinita negocia, eaq; publica, commiſſa ſunt. *Conſilij præſtantia & neceſsitas.*

II.

Qui ita nati ſunt, ut bona malaq; eorum ad Rempub. pertineant: & qui, ſi vel minimùm errent, ingenti protinus id totius regni, ſæpè & orbis malo faciunt.

III.

Quam ob cauſſam optimos quosq; Principes Conſiliarijs ſtipatos fuiſſe legimus: quibus totidem veluti oculis, auribus, manibusq; uſi ſunt.

IV.

Et rarò, *ait Vellejus*, eminentes viros non

magnis adjutoribus ad gubernandum fortūnam ſuam uſos, invenies.

V.

Adeò ut Sapientiæ argumentum in Principe nullum majus eſſe judicetur, quàm ſapientiſsimorum virorum conſilio uti. *l humanum C. lib. l. dubium. C. repud.*

VI.

Nōn enim viribus, *ait Cicero* aut velocitatibus, aut celeritate corporum, res magnæ geruntur: ſed conſilio, & autoritate, & ſcientia. *in Cat. Maiore.*

VII.

Multaq;, quæ natura impedita ſunt, conſilio expediuntur. *Liv. lib. 40.*

VIII.

Nec pauci eam fuiſſe cauſſam unicam crediderunt, cur Roma tam diu flóruerit, quod qui ei præfuerunt, non ſua, ſed Senatus conſilia ſecuti ſunt. *Hipp. à Collib. in tract. de conſil. Princip. in pr. Senec. 16. de benefic. c. 32.*

IX.

Nullum enim majus boni Imperij inſtrumentum, quàm bonus Conſiliarius, qui non immeritò pacis decus vocatur. *Tacit. 4. hiſt.*

X.

Atq; ut uno verbo dicam, non magis mens & ratio in corpore humano neceſſaria, quàm conſilium in Principe.

Et ut

XI.

Et ut alia commoda, quæ ex Principis benè conſulti iuſsis emergunt, omittam: Nonne Princeps ex aſsiduitate Conſiliorum in negocijs cæteris decernendis prudentior fit?

XII.

Notum eſt illud Græcorum: Sapientum congreſſu Principes ſapiunt.

XIII.

Princeps bonus fit, *ait Capitolin.* ſi bonis amicis utatur, *Iul. Capitolin. in vita Alex.*

XIV.

Et quemadmodum manus in digitos diviſa, firmior ad res omnes præhendendas, & commodior eſt: Sic in adminiſtranda Repub. Socios, adiutores, & Conſiliarios adhibens, melius & prudentius gubernat.

XV.

Non enim unus aptus ad omnia eſſe poteſt: Sed in ſua quisq; Roſcius arte eſt, ut dicitur:

XVI.

Et detur, durius quid à Principe impetratum fuiſſe, juſtum tamen & rectum ſubditis vel unica hac de cauſſa videbitur, quod conſilio prudentum factum:

XVII.

Neq; majus ullum indicium bonæ men-

tis oſtendere poteſt Princeps (*ait eleganter Cominæus.34.*) quam ſi eligat ſibi, & ijs familiariter utatur, viros virtute & fama celebres.

XVIII.

Nam omnes ſtatim judicabunt: talem eſſe Principem, quales ſunt eorum mores, qui apud illum.

XIX.

Adde, quod dominum illum offendere cives metuant, & ipſius juſsis contradicere, quem ſciunt omnia cum conſilio prudentum agere ſolere.

XX.

Taceo jucunditatem, qua Princeps, qui ſibi bonos viros ſtudio ac benevolentia devincit, in quorum virtute conquieſcat, fruitur.

XXI.

Nam quid in vita amico fideli dulcius? quod prædium, quæq; poſſeſsio tam opima, tamq; omnium fructuum ferax & fertilis, quàm eſt amicus? *Hipp. à Collib. in loc. præallegato. & in tr. de Princip. c. 7. Vide præclarè de conſilii præſtantia diſſerentes: Cæl. Rhodigin. 11 lect. antiq. c. 9. Caſſanæ. in catalog. glor. mund. part. 9. conſ. 44. & part. 11. conſ. 8. Tiraq. de lb. connub. gl. 1. part. 11. n. 51. & ſeqq. Lipſ. 3. Polit. c. 1. & 3. Camer. 3. Eth. c. 3. Grimal. Goſlic. in tr. de opt. Senat. lib. 1. pag. 35. in edit. Baſil.*

XXII.

Ex quo apparet, quid de eximio illo, (Si dijs

dijs placet) Macciav. dogmate ſentiendum ſit, qui Principem ſuis præceptis informare cupiens, ita ſcribere non veretur: *c. 23. de Princ.* *Certum eſt axioma, & perpetuus canon, bonum conſilium ex ipſius Principis mente ac prudentia naſci debere: non contra prudentiam Principis ex conſilio bono.* *Macciavelli lapſus.*

XXIII.

Quippe, Principem niſi ipſe per ſeſe ſapiat, ſalubri conſilio uti non poſſe. Hactenus Macciav.

XXIV.

Sanè theorema iſtud prima facie ſpeciem aliquam veri videtur præ ſe ferre: ſed ubi attentè adverteris, non modò falſum eſt, verùm etiam pernicioſum.

XXV.

Nihil fatemur utilius eſſe, nihil optabilius populo, Reiq; pub. accidere poſſe, quàm ut Principem habeat, qui ſuopte ingenio ſapiat.

XXVI.

Ac præclarè Plato, cum diceret, eas demum fœlices civitates fore, in quibus vel Philoſophi regnent, vel qui regnant, ſint Philoſophi, id eſt, ejusmodi Principes, qui non aliena, ſed ſua prudentia utantur.

Quippe

XXVII.

Quippe Philoſophi quondam nomen non ludibrio, ut vulgò hodiè, ſed in precio erat, & M. Antonino Principi certè ſapienti ac bono, impoſitum Philoſophi nomen, ſummi decoris monimentum fuit.

XXVIII.

Sed Macciavelli concluſio, non poſſe igitur Principem, niſi à ſe uno conſilium utile capere, ea demum falſa eſt, & pernicioſi exempli.

XXIX.

Etenim Principem non uſq; adeò cæcare debet propræ ſapientiæ opinio, ut alienam aſpernetur.

XXX.

Ipſe Salomon, & Carolus, qui Sapiens denominatus eſt, ſapientes viros in conſilium adhibere conſueverant.

XXXI.

Neq; illi tamen aliena conſilia ſpernenda non ſunt, verùm danda etiam opera, ut omni depoſita pertinacia, proprio judicio diffiſus, aliorum ſentiæ, ubi opus eſt, accedat.

XXXII.

Nam ſi illud Principi ſubjeceris, non poſſe videlicet ipſum à quoquam utilius conſilium capere, quàm à ſeipſo: Rempub. tutius admini-

adminiſtrari domeſticis conſilijs, quàm alienis: age, ſpectare libet, quorſum hæc ſtolida prudentia tandem ſit evaſura!

XXXIII.

Vbi enim hoc in animum induxerit, ſuo unius conſilio poſſe ſtare res ſuas, non ſe à quoquam moneri, non à temerè incæpto revocari patietur.

XXXIV.

Deniq; ſuperbæ aures, contemtus omnium hominum, aditus difficiles, etiam prudentibus amicis, omnia in exitium præcipitia, ipſum & Reipub. ſtatum peſſundabunt.

XXXV.

En præclaros Macciavellicæ Philoſophię fructus!

XXXVI.

Quantò melius is, cuius antè mentionem fecimus, M. Antonin⁹ Philoſophus, ſapientiſſimus Imperator, qui ſemper cum optimatibus ſuis non ſolùm bellicis de rebus, verùm etiam civilibus, priuſquam aliquid ageret, conſultabat.

XXXVII.

Ac ſi fortè inter deliberandum (ut fit) diverſum aliquid ab illis ſentiret, (illi a. erant, Scævola, Voluſius, Metianus, Vlpianus, Marcellus, alijq; graves & conſulti viri) tum æquiùs eſt,

us eſt, inquiebat, ut ego tot & talium amicorum conſilium ſequar, quàm ut tot & tales amici meam unius voluntatem ſequantur.

XXXVIII.

Cui præclaro Antonini dicto ſuffragatur vulgatum proverbium: *Plures oculos clarius videre quàm unum.*

XXXIX.

Et experientia docet, prudentiora & tutiora ea eſſe conſilia, quæ tractantur à pluribus, quàm quæ unius mente agitantur.

XL.

Itaq; potius animum inducat Princeps in Rep. adminiſtranda, aliena ſapientia uti, ſuam ſuſpectam habere. *latè Innoc. Gentilet. 1. adverſus Macciavel. theor. 1. Vincent. Caſtellan. lib. 1. de officio Regis, c. 34.*

XLI.

Eſtque id non Principum bonorum: ſed tyrannorum proprium, fidos Conſiliarios odio habere, ac ſummos honores ingentesque divitias, juſtiſsima virtutum præmia, impuris & ſceleratis hominibus prædæ objicere, mimis, ſcurris, lenonibus, quorum flagitiis imperia everſa.

XLII.

Quid Pericli iſtud profuit, cum, ut plebis gratiam captaret, Areopagitarum autoritatem ſuſtuliſſet, & ea quæ prius in Areopago tracta-

tractabantur, ad populum tranſtuliſſet? *Plutarchus.*

XLIII.

Nam haud multò poſt Reſpub. tùm externis tùm internis bellis concuſſa ruere cœpit. *Dionyſ. Halicarnaſſæ, lib. 2.*

Sed ad rem.

XLIV.

Conſilium, ait Philoſophus, eſt inveſtigatio quædam earum rerum, quibus ad finem, quem nobis propoſuimus, honeſta & decenti via pervenire poſſumus. *Ariſt. 6. Eth. c. 9. Egid. Rom. de regimin. Princip. lib. 3. part. 2. c. 17. Vincent. Caſtellan. lib. 4. de off. Reg. c. 26. ubi hanc Ariſt. definitionem eleganter explicat.* *Definitio conſilij.*

XLV.

Cicero verò excogitatam aliquid faciendi vel non faciendi rationem definit. *1. de finib.*

XLVI.

Neutra definitio eſt ejuſcemodi, quę huic noſtro propoſito conveniat.

XLVII.

Illa de conſultatione loquitur, hoc eſt, de conſilii inventione: hæc verò de ipſo conſilio, ut eſt conſultationis effectus.

XLVIII.

Nos, hoc loco, conſilium pro Principum Senatu ſumimus, *quo ſenſu Cicero pro Roſcio: Qui ex Senatu, ait, hoc in conſilium delecti eſtis &c. & ſic accipitur à noſtris in l. 1. de offic. Conſul. l. 2. de offic.*

eius cui mand. eſt iuriſd. l. 27. D. manumiſſ. teſt. & paſſim in tt. de manumiſſ. vindict. l. 1. & ult. C. vindict. libert. Theoph. in §. eadem. Inſt. quib. ex cauſ. manum. non lic.

XLIX.

Itaque conſilium definimus, cætum legitimum, eorum, qui de negocijs ad Rempub. pertinentibus deliberant, ſive cætum eorum, qui Principi ſuo, quomodo Reſpub. bello ſeu pacis tempore adminiſtranda ſit, conſulunt. *Bodin. 3. de Rep. c. 1. Ceriolan. in tr. de conſil. Princip. c. 1. Hippolyt. à Collib. ibid.*

L.

Notatio. Vnde etiam dictum videtur, quod ſcilicet in unam ſententiam plurium mentes quaſi conſiliant, & tandem expenſis rationibus conveniant, *Feſt. in verb. Conſilium: lib. 3.*

LI.

Cumq; tria ſint, *ut ait Quintil.* in ſuaſorijs ſeu conſilijs ſpectanda: Quid ſit de quo deliberatur, qui ſint qui deliberant, & ad quid:

LII.

Partes Conſilij. Hinc totidem in quolibet conſilio requiri patet: perſonas conſulentes, Conſiliarium videlicet qui conſulitur, & principem qui ſententiam rogat: Res quæ in conſilium veniunt: & finem.

LIII.

Nos de primo hoc loco, & quidem de eo tantum, quem Politicum & togatum Conſiliarium

ſiarium placet nominare: de reliquis alio tempore dicturi ſumus.

LIV.

Conſiliarium igitur definimus, quod ſit perſona idonea, electa ad hoc, ut Principi ſuo ſalutaria de Repub. fideliter & prudenter ſuggerat. *Conſiliarij definitio.*

LV.

Hujus definitionis vis ut intelligatur, duo obſervanda ſunt, ea ſcilicet, quibus inſtructus eſſe debet Conſiliarius: & officium illius. *ἐκϑεσις.*

LVI.

Conſiliarium enim ijs animi & corporis præſidijs & veluti inſtrumentis munitum eſſe oportet, quibus finem ſuum, & ea quæ ad finem ſpectant, conſequi poſsit.

LVII.

Hujus autem rei caput eſt, ut cum velit conſilium de Repub. dare, norit Rempub.

LIIX.

Nemo enim de ijs rebus ſapienter diſſerere, aut aliis rectè conſilium dare valet, quas non novit.

LIX.

Et notum eſt illud. Turpe eſſe ICo jus in quo verſatur, ignorare, non minus quàm Medico & gubernatori, morbos cognoſcendi & curandi, aut navigandi peritia carere.

LX.

Regiis igitur artibus præſtet, opus eſt, qui Regem eſt conſilio adjuturus.

LXI.

Et ut ſummatim dicam, notas habere debet eas res omnes, quæ à Principp. tractari ſolent, actiones quæ ad pacem vel ad bellum ſpectant, verſatus ſit in rebus gerendis, atq; in ipſa civili adminiſtratione.

LXII.

Diviſio inſtrumentorum.

Hæc præſidia ſive inſtrumenta Conſiliario inſunt, partim à natura, partim à ſtudio, partim à fortuna, & ut brevius dicam, ſunt vel inſita, vel acquiſita.

LXIII.

Inſita:
Acquiſita.

Inſita ſunt, veluti, ingenium, forma corporis, &c: acquiſita ſtudio vel exercitio, ut artes, diſciplinæ, virtutes.

LXIV.

Ex inſitis: ingenium.

Inter inſita primo loco colloco *ingenium*, quod præſtans & rarum ingenium, ſit principium, medium, & finis, maximarum & plus quàm humanarum actionum. *Plato in 6. de Rep. Furio Ceriola. in tr. de conſil. Princ. c. 2. Bartholom. Philip. ibidem. diſcurſ. 6. in rubr. de qualitatib. quas Thucydid. n. 25. Hippolyt. à Collib. ibidem pag. 145. & ſeqq. Rutger. Ruland. in tr. de commiſſ. Camer. p. 1, lib. 1, c. 8. n. 4. & ſeqq.*

Et in

LXV.

Et in iis hominibus, qui ad ardua tendunt, & aliquem divinitatis locum obtinere cupiunt, maxima ingenii dexteritas requiratur.

LXVI.

Quodq; vilia ingenia ſervituti facilè poſſe ſubjici, veteres non ſine exemplo crediderunt. *Ariſt. lib. 1. Polit. c. 3. Egid. Rom in tr. de Regim. Princip. lib. 2. part. 3. c. 13.*

LXVII.

Et plurimarum artium, maximarumque rerum cognitione præſtare oporteat Conſiliarium, quod ſine velocitate ingenii fieri non poteſt.

LXVIII.

Nam experientia teſtatur, omnes profeſſiones, omnia artificia, omnes libros eſſe exiguę virtutis atq; efficacię in iis, qui habent ſtupidum ingenium.

LXIX.

Hi enim continuo & labore & multo tempore adhibitis, parum tamen aut nihil proficiunt, & in eos quadrat vox de via collecta: *cum plurimum laboravimus, in eodem ſtatu perſiſtimus.*

LXX.

Rarum autem ingenium parvo labore & exiguo tempore obtinet omnia, quæ vult. *Fur. Cer. & Hipp. in loco præallegato.*

LXXI.

Hinc craſſum ingenium dicitur eſſe inſtar campi naturaliter ſterilis, quod

etſi

etſi doctrina & artibus excolatur, reddit tamen paucos fructus, eosque malos, & extra tempus.

LXXII.

Quale ingenium Conſiliarii eſſe debeat. Ingenium autem in Conſiliario requirimus non modò acutum & magnum, ſed alacre etiam, & aptum, quod habeat judicii directam normam.

LXXIII.

Sine hac enim ingenii commoditate negocia plerunq; exitus non ſolum minimè optatos, ſed exitiales etiam habent.

LXXIV.

Nimis ſubtilia & ignea ingenia, quę in aſsiduo motu verſantur, novandis, quàm gerendis rebus aptiora ſunt: & ſuo magis è cerebro nectunt conſequentias, quàm ex uſu vitæ rationes ducunt. *Curt. lib. 4. Thucyd. lib. 3.*

LXXV.

Ingenium unde ſit. Quæritur: *qua ratione ingenium & vim iſtam acquirere futurus ſibi Senator debeat?*

LXXVI.

Et reſpondemus: Ingenium hoc à natura ſingulis eſſe ingenitum: juvari tamen ab arte, atq; conſervari & augeri poſſe minimè dubitandum eſt. *Alber. Gentil. in tr. de legat. lib. 3. c. 5.*

LXXVII.

Quomodo juvetur. Juvabitur autem ingenium hoc modo: Si antè

antè diligenter quid ſibi in ipſo conſulendi actu objici poſsit, animo volutaverit, & præmeditatus fuerit.

LXXVIII.

Parato enim quid unquam defuit?

LXXIX.

Deinde lectio aſsidua hos conatus plurimum promovet, ſi quid alii in re ſimili egerint, cogitaverint, dixerint, notet & obſervet.

LXXX.

Excitamur enim ſimilibus ad ſimilia.

LXXXI.

Et fieri poteſt, ut tibi idem ſit reſpondendum, & inter loquendum, quod aliis.

LXXXII.

Sic enim eadem dicta factaq; in ore non infrequenter legimus plurium, & à pluribus uſurpata.

LXXXIII.

Et *ut ait Philoſophus 2. Rhetor.* Quæ futura ſunt, plerunq; paria ſimiliaq; iis ſunt, quæ facta ſunt.

LXXXIV.

Dialectices quoq; præcepta plurimum ad ingenium acuendum facere certiſsimum eſt: quibus inſtructus Conſiliarius, ita excitatur, ut primo intuitu omnem argumentationem, non dico ad Philoſophorum deſcriptionem; ſed ad quamcunque rem propoſitam elicere poſsit,

LXXXV.

Sed hoc acumine rectè uti debet Conſiliarius, ne Sophiſtæ nomen mereatur.

LXXXVI.

Quomodo conſervetur.

Conſervatur ingenium primò cultu aſſiduo: juxta illud vulgatum:

Fertilis aſſiduo ſi non renovetur aratro,
Nil niſi cum ſpinis gramen habebit ager.

LXXXVII.

Deinde temperantia. Intemperantia n. perniciosiſsima ingenii peſtis eſt.

LXXXIIX.

Ex quibus conjecturis Princeps futuri ſui Conſiliarii ingenium explorare debeat?

Sed *unde explorabit Princeps futuri Conſiliarii ingenium: id enim perquam eſt difficile in hac ingeniorum humanorum diverſitate?*

LXXXIX.

Hic triplicem viam proponimus: Cognoſci .n. poteſt hominis cujusq; ingenium, tribus ex cauſsis: *Ex dictis, ex factis, ex fronte.*

XC.

Ex dictis: ſi Conſiliarium futurum omnia præmeditatè loqui, nec ut in proverbio dicitur: os in lingua, vel os repletum vento habere cognoſcat.

XCI.

Ingenioſi enim qui ſunt, ſolent eſſe in loquendo arguti, in reſpondendo prompti, in dicendo

dicendo reſoluti, & rotundi, in jocando gratioſi, nec facilè exquirere materiam obtrectandi aliis hominibus, præſertim inimicis & æmulis ſuis.

XCII.

Eſt enim ſignum viliſsimi ingenii certiſſimum, malè loqui de hoſtibus & inimicis.

XCIII.

Ex factis, ut ſi intelligendo facilis ſit, ſi in ſeriis cautus, ſi ardua ſibi proponat. *Furio Ceriolan. in loc. ſup. allegato.*

XCIV.

Nemo enim excelſi ingenii vir humilibus delectatur. *Senec. Ep. 39. lib. 5.*

XCV.

Depræhenduntur a. hæc omnia *ex converſatione, & maximè convivali.*

XCVI.

Ita Clyſthenes Sicyoniorum tyrannus multis convocatis, in menſa eorum exploravit ingenium. *Herodot. lib. 6.*

XCVII.

Aut inter ludendum; ingenia enim luſibus maximè eluceſcere, *tradit Heresbach. de erud. princ. lib. 1. c. 3. Franciſcus Patric. lib. 3. de regn. tt. 9. Middendorp. in qq. politic. 72. interp. q. 9. in fin.*

XCIIX.

Planè, *ſi converſandi ac loquendi cum*

Conſiliario facultas non ſit, tunc ad actiones ipſius attendendum eſt, an vividi ſint ipſius actus, an in aliqua re ſingulari occupati, an omnia videre, ſcire, & compræhendere deſideret: an ſit diligens, an multa legat, an libenter conferat, & converſetur, quærat de præteritis, animum advertat ad præſentia, judicet de futuris. *Furio Ceriolan. in loc. praallegato. Rutger. Ruland. in tr. de commiſſar. Cam. p. 1. lib. 1. c. 8. n. 23.*

XCIX.

Quomodo autem *ex faciei lineamentis & conſtitutione cognoſci debeat,* tradit præter alios ejus rei Scriptores, Iohann. Baptiſt. Neapolit. *lib. 4. c. 6.* & è contra de hebeti ingenio, *lib. 4. c. 7.*

C.

Conſtitutio corporis in Conſiliario.

Alterum Conſiliarii ornamentum, quod à natura habet, eſt forma corporis dignitati congruens, ac bona ac perfecta corporis conſtitutio, non mutilata, aut aliquo vitio laborans.

CI.

Conſiliario enim plurimi labores in itinere præſertim obeundi ſunt, qui corpus benè conſtitutum exigunt.

CII.

Corpus enim benè conſtitutum ſit oportet

tet

tet illi, cui longitudo itineris, aſperitas viarũ, navigandi difficultates, perpetiendæ ſunt. *Octav. Mag. lib. 2. de legat. Franciſc. Vayer. c. 2. eod. tr. Rutger. Ruland. in tr. de commiſſ. p. 1. lib. 1. c. 11. per tot.*

CIII.

Et perfectum corpus, hominem integrum ornat, & præſumtio eſt, in eleganti corpore elegantes virtutes habitare.

CIV.

Quemadmodum dicitur in vulgato proverbio: In pulcra & ſplendidè ædificata domo, habitare perſonam aliquam inſignem: Sic egregia hoſpitia heroibus decerni. *Cic. in Tuſc. Camer. in medit. hiſt. c 7.*

CV.

Nec malè videtur ceciniſſe Poeta:

Gratior eſt pulcro veniens è corpore virtus.

Tiraq. de lb. connub. gl. 1. p. 2. n. 40. Contra Senec. in Ep. ad Lucil. 67.

CVI.

Eſt enim pulcritudo corporis, indicium virtutis animi: Et ſpeculum corporis ſimulacrum eſt mentis, figuraq; probitatis.

CVII.

Contra in corpore deformi raro nobilis formoſusq; animus reſidet: Et vulgò argumentum fieri ſolet de iis, qui vitio corporis à natura notati ſunt.

CIIX.

Docuerunt enim Ariſt. Galen. & Hippo-

 crates,

crates, homines vitio aliquo naturæ natos, plerunque mille defectus circa intellectum, mores & vitam etiam habere.

CIX.

Et Ariſtotelem ferunt aliquando precatum fuiſſe, ut Deus ipſum liberaret ab homine à natura ſignato: *Barth. Philipp. in tract. de Conſiliar. rubr. de qualitatib. quas Frideric. n. 24.*

CX.

Hinc noſtri tradunt, incompoſitum corpus inæqualitatem indicare mentis. *c. fina. diſt. 41. Bertach. in repertor. verb. corpus.*

CXI.

Et à poſtulando aliisq; muneribus ll. repellunt eos, qui notabili aliquo vitio corporis laborant. *tt. de poſtul. & de ædilic. edict.*

CXII.

Et quomodo Conſiliarius auctoritatem atq; gravitatem ſuam tueretur, ſi inſigni aliquo corporis defectu ſit deformis?

CXIII.

Plus enim autoritatis habent homines benè proportionati, & propterea iidem hominibus magis ſunt acceptabiles.

CXIV.

Cum è contra non benè proportionati, plerunq; riſui aliorum ſint expoſiti.

CXV.

Sic Catonem referunt in legatos populi Rom,

Rom. quorum unus ſaxo quodam in caput percuſſus, fœdas cicatrices ferebat, alter pedibus laborabat, in hunc modum jocatum: *Mittit populus Romanus legationem, quæ nec caput nec pedes habet.* *Gent. de legat. c. 3. lib. 3. ex Plutar. Liv. App.*

CXVI.

Quod ad ſtaturam attinet, pleriq́ue eam probant, quæ non ſit nimis procera, ſeu gygantea, nec nimis parva, ſeu pygmæa. *Statura corporis Conſiliarij.*

CXVII.

Proceræ enim ſupra modum ſtaturæ plerunq; ſolet eſſe magnus defectus, ut qui immodicæ ſtaturæ ſit, ab Elephante nihil differre exiſtimetur.

CXIIX.

Vnde Ariſt. dixit, in corpore procero parvam habitare virtutem. Zimar. problem. 27.

CXIX.

Nimis autem parvæ ſtaturæ homines, plerunque ſunt iracundiores, & temeritate magis quàm judicio feruntur, & populi irriſioni expoſiti, autoritate debita excidunt.

CXX.

In dubio tamen ſi peccetur in hac parte, ſatius eſſe deſtitui nonnihil ſtatura, quàm modum in ea excedere, affirmare non dubitat *Caſtigl. in ſuo Cortegiano lib. 1. D. 3. Alex. probl. 27.*

Sed

CXXI.

Sed hæc non ſunt magni momenti, neq; aliquid catholicum in his haberi poteſt: *vide tamen Camert. in addit. ad Solin. polyhiſt. c. 5. Gratalor. de prædictione morum & vitæ hominis ex conſtitutione faciei & proportione corporis, ubi ad ſacietatem hac de re tractat.*

CXXII.

Alia bonæ conſtitutionis pars putatur hæc eſſe, ſi caput non ſit majus, quàm proportio corporis requirat, & omnia bina membra æqualiter in homine proportionata. *Rutger. Ruland. in tr. de commiſſ. Cam. p. 1. lib. 1. c. 11. n. 18. Cal. Rhodigin. 20. lect. antiq. c. 12.*

CXXIII.

Facies. Præter hæc etiam forma faciei non ultimum locum obtinet: quam tamen eſſe volumus non muliebrem atq; delicatam, ſed egregiam, h. e. viro dignam, quæ ſit gravis & jucunda.

CXXIV.

Venuſtas enim propria eſt mulierum, dignitas virorum, ut Cicero diſtinguit.

CXXV.

Vultus comitas. Inprimis autem habilitatis corporeæ index eſt vultus comitas.

CXXVI.

Itaq; vultus debet eſſe gratioſus, & placidus, bonoſq; mores præ ſe ferens.

CXXVII.

Nam hac virtute præditi qui ſunt, ii ea ſola ſibi

la ſibi autoritatem & benevolentiam concili-ant.

CXXVIII.

Hæc quæ de corporis conſtitutione dicta ſunt, regulariter quidem obtinent, & ut plurimum accidunt, atq; ex conjecturis fieri dicuntur, quæ tamen ſæpiſsimè fallunt.

CXXIX.

Neque enim formæ tribuendum eſt tantum, ut ex ea ſola cognoſci debeat habitus omnis animi.

CXXX.

Multi n. inveniuntur corpore non adeò formoſo, animo verò formoſiſsimo, juſto ſeu prudenti, & temperanti, nec deformitate corporis fœdatur animus: ſed pulcritudine animi corpus ornatur.

CXXXI.

Et virtus non eſt alligata vel formoſo, vel deformi corpori, magnum ipſa per ſe decus habet, corpusque omne pulcritudine ſua condecorat.

CXXXII.

Itaq; ut in cognoſcendis hominibus non ſolùm adhibemus oculos, verùm etiam judicium: Ita in Conſiliario non forma, vultus, oculi tantum, ſed etiam facies tota animi ſpectanda eſt, eaq; ſemper præferenda omni corporis formæ atq; pulcritudini, *ut loquitur Grim. Goſlic. in tr. de opt. Senator. lib. 1.*

CXXXIII.

Quia tamen ſigna iſta raró fallunt, præ-

ſertim ſi motus harum partium accedat, non debent iſtæ conjecturæ prorſus negligi.

CXXXIV.

Quemadmodum enim ſignis quibusdam agrorum fertilitas vel ſterilitas, equorum bonitas aut vitioſitas depræhendi ſolet: Sic hominum corporibus notæ, accidentia vel ſigna ineſſe ſolent, quę animi ipſorum affectionem teſtantur, *latè Chaſſane. in catalog. glor. mund. p. 2. conſid. 22. Tiraq. de lb. connub. gl. 1. part. 2. n. 28. & ſeqq. uſq; ad finem.*

CXXXV.

Ætas Conſiliarii. *Quæritur hoc loco de ætate Conſiliarii: qua ſcilicet ætate cum fructu legendus ſit?* Et ſanè ſtricto jure inſpecto poſt annum ætatis octodecimum poſſe aliquem munere Conſiliarii fungi, dicendum videbatur:

CXXXVI.

Hæc enim ætas ſufficit de jure in delegato, *c. cum vigeſimum. c. cum in iure peritus. eff. de leg.* quem Conſiliarium eſſe, aut illi ſaltem æquiparari, extra dubitationem eſt.

CXXXVII.

Et eo tempore poteſt abſolviſſe ſtudium, & aptus eſſe ad omnia, quæ ad perfectum ICtum pertinent.

CXXXIIX.

Ita Nervam ICtum de jure reſpondiſſe legimus

gimus anno ætatis decimo ſeptimo, *l. 1. §. initium. D. poſt.*

CXXXIX.

Sic Celſus, qui ubiq; in jure adoleſcens appellatur, de jure reſpondiſſe fertur. *l. ſi ſervum. §. ſequitur. V. obl.*

CXL.

Et Papinianum conſtat juvenem adhuc interemptum fuiſſe à Geta Severi filio, *Platin. in Calixt. Pontific. Socin. ad l. cum avus. D. condit. & demonſtr. Cuiac. in Papin. in princ'p.*

CXLI.

Idem feciſſe Bartolum & Baldum ejus fratrem, tradit *Ang. ad l. 1. §. initium. D. poſtul.*

CXLII.

Sic Speculator non ſolùm inſtruxit commiſſarium, ſed & alios in ſumma juventute. *Ang. ibid. Tiraq. in tr. de iur. primig. in præfat. n. 102. ubi plura ſimilia exempla latè recenſet.*

CXLIII.

Neq; noſtra ætas exemplis prorſus deſtituitur: Sunt enim adhuc nonnulli, quibus ingenium & rerum prudentia velox ante pilos venit. *ut à Perſio Sat. 4. ſcriptum eſt,* Iuvenes corpore, mente ſenes.

CXLIV.

Verum enimverò quia hæc exempla rara ſunt, niſi evidenter appareat perſonam huic provinciæ eſſe ſufficientem, major ætas eli-

genda eſt, ſi haberi poſsit, & ut pleriq; volunt ad minimum 25. aut 30. annorum. *Ceriolan. & Barth. Philipp. in tract. de Conſiliar. Princip. & ibid. Hipp. à Collib. Rutger. Ruland. in tr. de commiſſ. Cam. p. 1. lib. 1. c. 12. n. 2. & ſeqq. Pont de Princip. in pr. P. Fab. ad l. 2. n. 29. & ſeqq. D. R. I. Vinc. Caſtellan. lib. 1. de offic. Regis c. 58.*

CXLV.

Quam ætatem ICi noſtri in plerisq; articulis judicarunt ſufficientem eſſe.

CXLVI.

Hoc enim tempore finitur curatela. *Inſtit. de cura. in pr.* & ante id tempus, nemo quid rectè in propria cauſſa gerere dici poteſt, ideoque læſi reſtituuntur. *tt. tt. D. min. 25. an.*

CXLVII.

Ac ætas 25. annorum, dicitur eſſe perfecta. *l. ſi maritus. §. lex Iulia, ad l. Iuliam de adulter.*

CXLIIX.

Et hoc tempore in homine incipit perfectum judicium. *Cuiac. in com. ad tt. de in integr. reſt. in pr.*

CXLIX.

Huc accedit, quod experientia, quæ in Conſiliario requiritur, ſit exigua ante hanc ætatem.

CL.

Eſt enim hæc quoq; filia temporis, & ex uſu & praxi proficiſcitur, quæ in juvenibus deficit.

Gravitas

CLI.

Gravitas quoq;,quæ inConſiliario requiritur,deeſt huic ætati.

CLII.

Vt omittam alia vitia,quæ ante hanc ætatem dominantur,atque alios defectus, qui Conſiliario maximè obſunt: *arg. l. ſi verò remunerandi. §. ſi adoleſcens. D. mandat.*

CLIII.

Nec dubium eſt,quod Conſiliarium eſſe, maxima ſit dignitas. *Hippolyt. de Marſil. ſing. 107. Guid. Pap. deciſ. 388.*

CLIV.

Traditur autem,majores dignitates illis, qui 30. minores, qui 25. habent annos, non conferri. *c. cum in cunctis, electi.*

CLV.

Planè aliquando accidit, ut ante 30. annum ad munus iſtud idoneum reperiantur: idq; Dio decreto Mecœnatis ſtatutum fuiſſe ſcribit.

CLVI.

Quod pleriq; admittunt eo caſu, quando is,de cujus qualitate quæritur,gradu Doctoris legitimè inſignitus eſt.

CLVII.

Tunc enim volunt multi, etiam,minorem ætatem ſufficere, doctrina id ſupplente, quod ætati & annis deeſt.

CLIIX.

Licet extra hunc caſum rectè videatur Ceriolanus ſcripſiſſe, tutius eſſe, ut ii, qui 30. nondum attigerunt annos, celebres adeant Academias, ut peregrinentur, urbes moresq; hominum diſcant, aulas Principum intueantur, caſtra ſequantur, aut aliis rebus percipiendis vacent. *de Conſ. Princip. c. 3.*

Hactenus de creſcente, nunc de decreſcente ætate videndum eſt.

CLIX.

Senectus. Majorem autem non putant plerię; idoneum eſſe Conſiliarium, ſi ſit ſexaginta, aut ad ſummum 70. annorum.

CLX.

Etſi enim uſque ad 70. dicitur ſenium, à quo & Latini & Græci Senatum γερουσίαν dixêre: tamen hæc ætas vix huic provinciæ par eſt, cum ad labores perferendos minus ſit idonea.

CLXI.

Senes enim infirmi dicuntur. *l. civitatib. D. de legat. c. magna. de vot. & ut Ariſt. ait 5. de generatio. anim:* Senectus per ſe ipſa eſt morbus naturalis, quem, *ut inquit Horatius,* multa circumſtant incommoda, plurimæq; imbecillitates.

CLXII.

Cumq; in Conſiliario maximi labores, & pleni difficultatis requirantur, quos ſenibus

minui

minui æquiſsimum eſt: Conſequens eſt, vel ex hoc ſolo fundamento ſenes à Conſiliarii munere ſubmovendos eſſe.

CLXIII.

Vt taceam alios nævos, qui plerunq; ſenes turbare ſolent.

CLXIV.

Conſtat enim eos ferè eſſe difficiles, moroſos, anxios, querulos, avaros, oblivioſos, & in ipſis experientiam converti inobſtinationem. *Tiraq. in tr. de lb. connub. gl. 6. 7 24.*

CLXV.

Et hic ſenectutis morbus non eſt tranſiens, ſed permanens, & inſanabilis, ut Seneca loquitur.

CLXVI.

Eſt igitur æquum, ut ii, qui annum ætatis ſexageſimum exceſſerunt, ſibi potius vivere incipiant, in otio, & quiete quæſitis utantur, & ſolius animæ ſalutis curam gerant.

CLXVII.

Hinc ſenibus tanquam emeritis beneficia, honores, vacationes munerum à lb. tribui videmus.

CLXIIX.

Illud Corollarii loco huic capiti addendum eſt. *An ſene cum iuvene concurrente, hunc vel illum potius eligere Princeps debeat?*

Senesnè an juniores in dubio præferendi ſint?

Nos

CLXIX.

Nos non affectione moti, ſed quod maxima perſpicácia & labor in hoc munere deſideretur, quibus juvenes antecellunt ſenioribus, & quod plures defectus ad hanc provinciam pertinentes in ſene, quàm in juvene reperiantur, juvenem præferendum eſſe, concludi poſſe exiſtimamus: *argumento eorum, quæ tradit Rutger. Rulan, in tr. de commiſſ. Cam. p. 1. lib. 1. c. 12. in fin.*

CLXX.

Nativitas Conſiliarij, legitima.

Pertinet ad hoc caput etiam illa quæſtio, qua de nativitate Conſiliarii quæritur: Legitimane ea ſit, an illegitima? Quæ apud Rhetores de laudibus alicujus perſonæ tractantes, ferè omnium prima eſt, à qua perſonam commendare ſolent.

CLXXI.

Nativitatem ergò in Conſiliario requiro, ex legitimo matrimonio, quæ qualis ſit, deſcribitur *lib. 1. Inſt. de nupt.*

CLXXII.

Requiro autem hís de cauſſis: Primum, quia Conſiliarium eſſe, maxima eſt dignitas: *not. ſup. th. 153.*

CLXXIII.

Expediti autem juris eſt, dignitatis portas regulariter non patere ſpuriis. *l. generaliter. §. ſpurios, D. decurionib. l. honor. §. de honorib. D. mun. & honor.*

Qui

CLXXIV.

Qui à multis pro infamibus habentur. *Mynſ. cent. 4. obſer. 31. Teſſaur. deciſ. 126. n. 2. & ſeqq. Duar. 4. de SS. Eccleſ. miniſt. c. 5. Neviz. 3. ſylv. nup. n. 15.* quib portę dignitatum non patent. *l. 2. C. dignit.*

CLXXV.

Deinde quia nec doctores creari poſſunt in Academiis publicè approbatis, idq; uſus obſervat *teſte Caſſana. in catalog. glor. mund. part. 11. Conſid. 15. Tiraq. de nobil. c. 15. n. 15. Middendorp. in tr. de Academ. lib. 1. c. 7. Rutger. Ruland. in tr. de commiſſ. Cam. p. 1. lib. 1. c. 2. n. 1.*

CLXXVI.

Et in aſſeſſoribus legitima nativitas requiritur. *Ord. Cam. part. 1. tt. 3.*

CLXXVII.

Quamvis non negamus ex illegitima conjunctione natos, & olim ad dignitatem aliquando certis caſibus promotos fuiſſe.

CLXXIIX.

Sic ſpurii decuriones eſſe potuerunt. *l. ſpurii. §. ſpurios. D. Decurion.* quod eſt dignitatis. *l. honores. D. Decur. l. à decurionatu. D. excuſ. mun.*

CLXXIX.

Et hodiè maximis aliquando decorari honoribus, tradit *Palaot. in tr. de ſpur. c. 57. in fin.* dum in ſacrum Epiſcoporum Collegium & Cardinalium etiam quandoq; alleguntur.

CLXXX.

Tertiò, quia egregiæ animi dotes in Con-

ſiliario requiruntur, quæ plerunq; in ſpuriis deficiunt.

CLXXXI.

Mali enim corvi, malum ovum. *Eraſmus in adag.*

CLXXXII.

Dico: plerunq;, quia ſæpè maximis virtutibus præditi, aliis longè præcellunt, ut pluribus exemplis adductis confirmat *Gabr. Palaot. in tr. de noth. & ſpur. c. vlt. Tiraq. in tr. de nobil. c. 15. n. 30. & ſeqq. Cardan. de util. ex adverſ. cap. tit. de adult. uxor.*

CLXXXIII.

Sed quid de naturalibus ſtatuendum? Et v. de his idem judicium, quod de ſpuriis videtur eſſe: *Menoch. conſ. 18.*

CLXXXIV.

Etiamſi eſſent ſuſcepti à concubina domi retenta. *Ruiger. Ruland. in d. c. 7. n. 4.*

CLXXXV.

De legitimatis maior dubitatio eſt. Nam quod admittantur, ratione juris inſpecta dicendum videtur.

CLXXXVI.

Eſt enim legitimatio tantæ efficaciæ, ut præcedentia omnia vitia purget. *c. tanta. & ibid. Dd. com. qui fil. ſint legit.*

CLXXXVII.

Ex quo pleriq; volunt, eos & feudorum, quæ ſæpè dignitatem annexam habent, eſſe capaces, *ut poſt alios multos tradit Tiraq. in tr. de jure primig.*

primig. q.34.n.54. Schurff.conſ.1.cent.1.n.17.VVeſ.conſ. 44.n.35.& 43.latè Hartman.Piſt.3.q.31. Beuſt.ad l.3. in pr. n. 29. & ſeqq. de jurejuran. & ad l. admonendi. 7. n.874.D.eodem.

CLXXXVIII.

Sanè de conſuetudine non admittuntur hi ad dignitates: habet enim illos loco naturalium, *ut præter Palæot.& Mynſ.teſtatur Rutger.Ruland.in d.tr.de commiſſ.p.1.lib.1.c.7.n.6.*

CLXXXIX.

Et à rebus dignitatem aliquam annexam habentibus eos excludit, ut à feudis. *Mynſ.obſ.31. cent.4. Gail.2.obſer.140.n.19.*

CXC.

Eamque ob cauſſam etiam ſtatutum Cameræ, requirens legitimè natum debere eſſe aſſeſſorem, non admittit legitimatum: *Mynſ. obſ.31.cent.4.Gail.2.obſ.140.n.19.*

CXCI.

Nec de ſtylo Cameræ talis perſona, præſertim ſi de ea excipiatur, in Commiſſarium ordinari debet, in quam ſententiam proclivior eſt *Rutger.Ruland.d.c.7.n.7.*

CXCII.

Planè ſi per matrimonium legitimati ſint, indiſtinctè eos admittendos eſſe exiſtimaverim: *arg. eorum quæ ſuprà dixi, & ex iis quæ tradit Modeſtin. Piſtor.conſ.48.vol.1. Beuſt.ad l.3.in pr.n.28.& ſeqq. D.jurejur. Schurff. conſ. 1. n. 18. & ſeqq. cent. 1. Teſſau.deciſ.196.*

CXCIII.

Porrò qualitatem hanc futuri Conſiliarii cognoſcet Princeps, vel à parentibus, vel à Magiſtratu loci, ubi natus eſt, vel à vicinis, & ex aliis indiciis.

CXCIV.

In dubio tamen, maximè ſi graduata ſit perſona, pro legitimo præſumet: *Rutger. Ruland. d. c. 7. n. 10.*

CXCV.

Si enim ad dignitates eſt admiſſa, præſumitur eam eſſe legitimam, quamvis hæc conjectura aliquando fallat. *Vide Paleot. in tr. de noth. & ſpur. c. 20.*

Hactenus de bonis inſitis Conſiliarii, & de ætate.

CXCVI.

Acquiſita bona Conſiliarii. Acquiſita bona circa ea verſantur, quę ad Rempubl. benè ac feliciter gerendam neceſſaria ſunt, circa notitiam videlicet earum rerum, quæ in omni genere principatus ad imperii magnitudinem, & conſervationem potiſsimum pertinent.

CXCVII.

Prudentia Theologica. Inter hæc principem locum obtinet *Prudentia Theologica*, quam ob hanc etiam cauſſam prima acie collocamus, & honorificentiſsimum ei locum tribuimus.

Nam

CXCIIX.

Nam cum Impietas omnem peccandi metum evellat, & conſilia Impiorum fraudulenta ſint, ſequitur religionis contemptum, Rerumpubl. everſionem adferre. *Middendorp. in qq. Polit. 72. interp. q. 1.*

CXCIX.

Neceſſarium igitur Conſiliario, ne populus in religione fluctuet, quinam rectè vel malè ſentiant, ſcire, quinam religionis cauſſa coerceri debeant, vel non, quomodo Sectarum vindices evelli poſsint.

CC.

Neq; ſolum hoc ſcire debet, ſed & ipſe religioni ex animo addictus eſſe, voce ac precibus Deum colere. Non enim poterit conſilium de rebus magnis inire, qui mentem caſtam, & divino ſplendore collucentem non habet

CCI.

Omne ſiquidem verum lumen, quod admirationem commovet, & amorem conciliat, in religione ſitum eſt. *Hippolyt. à Collib. in tr. de Conſil. Princip. pag. 155. & in tractat. de Princip. c. 6.*

CCII.

Altera eſt prudentia civilis, quæ vel uſu & experientia conſtat, vel doctrina & lectione. *Prudentia politica.*

CCIV.

Vſu: ſi res humanas inſpiciamus, aut tractemus ipſi.

CCV.

Quanquam hæc cum magno periculo conjuncta ſit, cum non omnia quotidiè occurrant, quæ in hiſtoriis expreſſa habemus.

CCVI.

Eſt autem uſus efficaciſsimus rerum omnium magiſter, & qui omnium magiſtrorum præcepta ſuperat.

CCVII.

Experimentis enim optimè creditur. *Cicero de Oratore.*

CCIIX.

Fit hoc inprimis, ſi rebus cum adverſis conflictati fuerimus.

CCIX.

Darius ſeſe præliis, & rebus aſperis prudentiorem reddi dicebat: τὰ γὰρ παθήματα, μαθήματα.

CCX.

Altera eſt prudentiæ politicæ pars, quæ lectione & Philoſophiæ præceptis informatur. Hæc minus quidem exquiſita eſt, ſed interim nullis tamen periculis objecta.

CCXI.

Philoſophia Conſiliarium igitur Philoſophiæ cognitione carere non poſſe affirmo. *Cic. de clar. Orat. Goſlic. lib. 1. de opt. Senat. pag. 75.*

Philo-

CCXII.

Philoſophiam cum nomino, eam potiſſimum hoc loco intelligo, quæ in actione conſiſtit, moralem ſcilicet, familiarem, & civilem.

CCXIII.

Hæc enim Philoſophia docet, quid honeſtum, quid turpe, quid extremum bonorum & malorum, quomodo domus regenda, quæ patris, quæ mariti, quæ heri poteſtas, quo pacto res familiaris tuenda, quot Imperiorum genera, quibus virtutibus, & diſciplinis imbutum eſſe oporteat, qui Rempubl. adminiſtrare velit, quis ſit optimus Reipub. ſtatus, quibus artibus inclinatæ ruenteſque civitates ſubleventur, & optimis inſtitutis atque lb. informentur. *Hipp. à Collib. in loc. præallegato.*

CCXIV.

Neq; aliam Philoſophiam videtur intellexiſſe Plato: cum nobiliſsimam illam vocem ex oraculo prodidit: tum demum beatas fore Reſpubl. cum aut regnarent Philoſophi, aut Reges philoſopharentur.

CCXV.

Dico potiſsimùm me hanc Philoſophiam intelligere, etſi alterius etiam, quæ in contemplatione verſatur, naturalis ſcilicet, & Mathematices non prorſus ignarus eſſe debeat.

Turpe

CCXVI.

Turpe enim eſſet homini Conſiliario in Regum & Principum aulis verſanti, & cum magnis viris ſæpè congredienti, nihil loquì ſcire, de naturæ rerum cauſsis, nullam habere cœleſtium cognitionem, artem numerorum ignorare, rationem acceptorum expenſorumq; non intelligere, ſi caſu aliquo quæſtorum aliorumve ſuſpectorum argentariorum rationes ipſi committantur.

CCXVII.

Quid? dicat quiſpiam hoc loco: Philoſophum eſſe vis, Principis Conſiliarium? & artium concluſiunculis animum ejus omnium occupari, qui ad ampliores uſus Reipubl. effingendus eſt?

CCXIIX.

Objiciet, vulgi opinionem eſſe, eos, qui Philoſophiæ ſtudiis, paulò ulterius progrediente ætate dediti ſunt, homines in ſolitudine verſatos, conſuetudinum imperitos, ad res gerendas nulla ratione idoneos eſſe: *σοφὺς μεν, ἀλλ' ὐ φρονίμυς*,

CCXIX.

Heu mihi Philoſopharis: *(ait ille Sophiſta)* atqui Philoſophi
Sermone ſolo ſunt ſapientes: ceteris
In rebus eſſe novi ego ſtultiſsimos, *Athena. lib. 13. dipnoſophiſt. c. 33.*

Sed

CCXX.

Sed parata nobis eſt reſponſio: Non enim loquimur hîc de Philoſophia, quæ in meris idæis animi vacui ab omni gubernatione ſingitur, nec de Philoſophaſtris, qui vel ſine judicio Philoſophiæ operam dant, vel nimio ejus ſtudio ducti, Philoſophia uti neſciunt, & ſapientes ſunt, præterquam in iis, in quibus ſapientes eſſe debent: Sed de iis, qui uſum & exercitationem conjungunt.

CCXXI.

De hac Philoſophia verum eſt, quod ait *Plin. lib. 2. Nulla eſt laudabilior vitæ pars, quàm agere negocium publicum, cognoſcere, iudicare, promere, & exercere inſtitiam. Vide Grim. Goſlic. lib. 1. de opt. Sena. pag. 76. & ſeqq. ubi præclarè probat, quinam ſint illi Philoſophi, qui ad Rempub. inepti. P. Greg. 17. de Repub. c. 7. ubi de abuſu Philiſophantium, deq; eius remedio eleganter diſſerit.*

CCXXII.

Ad juriſprudentiam venio, quæ ex hoc Philoſophiæ fonte manat. *Iuriſprudentia.*

CCXXIII.

Quam Conſiliario futuro exactè cognoſcendam eſſe exiſtimo his de cauſsis:

CCXXIV.

Eſt enim Senatoria pars quædam juris Publici, & privati, ut ait Plin. *lib. 8. Epiſt. 14. ad Ariſt.*

CCXXV.

Quam ob cauſſam juris civilis ſcientiam,

plurimi & maximi profeſsi ſunt, qui maximæ dignitatis apud populum Romanum fuerunt. *l. 2. §. juris civilis. D. orig. jur.*

CCXXVI.

Vnde ICti amici vocabantur, & patres Principis. *l. Divi fratres. 17. jur. patro. l. ſecundum. 4. C. contrah. & committ. ſtip. fac. l. quicquid. C. advocat. diverſ. judic. l. 1. C. aſſeſſ. & domeſtic.*

CCXXVII.

Et paſsim in jure egregiis nominib. excelſi, glorioſi, magnifici, ſplendidiſsimi, clariſsimi, prudentiſsimi, inclytę recordationis, optimæ memoriæ, ab ipſis Imperatorib. vocantur. *l. 2. C. vet. jur. enucl. l. 12. de legat. Lamprid. in Alex.*

CCXXIIX.

Et domum ICi totius civitatis oraculum vocat Lucius Craſſus apud Cic. *lib. 1. de Orat.* tam divini quàm humani juris doctiſsimum.

CCXXIX.

Deinde: quia Senatori plures artes ſunt neceſſariæ, quæ ſanè omnes ex juriſprudentia addiſci poſſunt.

CCXXX.

Fremant (inquit Cic. de Orat.) omnes licet, dicam quod ſentio: Bibliothecas mehercle omnium Philoſophorum, unus mihi videtur 12 tabular. libellus, ſi quis ll. fontes & capita viderit, & autoritatis præcedere, & utilitatis ubertate ſuperare.

CCXXXI.

Huic rectè, ut opinor, cognitio hiſtoria-

rum

rum proximè ſubjicitur: nec minor ejus laus ac utilitas, tàm apud ICos, quàm apud Philoſophos extat. CCXXXII.

ICi certè tantum ferè hiſtoriæ tribuunt, quantum ipſis lb. dum tradunt, hiſtorias & annales vim probandi obtinere. *Bl. ad l. 1. eff. quæſt. Dec: in l. 1. D. ſi cert pet. Maſcard. de probat. concluſ. 287. Rol. à Vall. conſ. 2 n. 60. vol. 1. Menoch. conſil. 1. n. 272.* CCXXXIII.

Et hiſtorias in multis notorium inducere *tradit Maſcard. ibid. n. 6. Rutger. Ruland. in tr. de commiſſ. Cam. p. 1. lib. 1. c. 18. n. 2.* CCXXXIV.

Ex Philoſophis hiſtoriarum laudes Cicero in unum q. faſciculum comportavit, dum, inquit, hiſtoriam eſſe teſtem temporum, lucem veritatis, vitę memoriam, magiſtram vitæ, nunciam vetuſtatis. *2. de Orat.*

CCXXXV.

Hanc in Conſiliario ſequentibus de cauſſis deſidero. CCXXXVI.

Primum quia virum ſupra deſcripſimus Conſiliarium, non puerum:

CCXXXVII.

Tradit a. Plato eos videri eſſe pueros, qui ignorant ea, quæ antequam nati ſunt, acciderunt apud omnes gentes. CCXXXIIX.

Deinde, quia modò diximus, Conſiliarium ll. debere eſſe peritum CCXXXIX.

Atqui conſtat ll. non eſſe aliud, quàm

 hoſtoriam

hiſtoriam, quæ continet ſententias, & opiniones antiquorum, & prudentum hominum, quibus Reſpub. conſtituerunt, & cives in pace atq; virtutis cultu continuerunt.

CCXL.

Nec alia de cauſſa eæ hodiè addiſcuntur, niſi ut idem & nos præſtare valeamus. *Furia Ceriolan. de conſil. Princip. c. 2. Grim. Goſlic. lib. 1. de opt. Senator. pag. 26.*

CCXLI.

Accedit, quod Conſiliarium egregiis virtutibus ornatum eſſe oporteat.

CCXLII.

Quid autem aliud eſt hiſtoria, quàm pictura quædam, quæ præſtantes viros imitandos nobis ob oculos ponit.

CCXLIII.

Vnde enim melius fortitudinem, fidem, juſticiam, continentiam, frugalitatem, contemtum doloris ac mortis, quàm ex hiſtoriis cognoſcimus?

CCXLIV.

Hinc traditur, in hiſtoriis veritatis ac prudentiæ ſapientiæq; principia recondita eſſe, *Dionyſ. Halicarnaſſ. Rutger. Ruland. in tr. de commiſſ. Cam. p. 1. lib. 1. c. 18. Hyppol. à Collib. in tr. de art. iur. lib. 1. tit. de principiis exter. pag. 305. Patric. 2. de regn. tit. 10.*

CCXLV.

Eloquentia. *Eloquentiam* in Conſiliario maximoperè ne-

neceſſariam eſſe, neminem video qui neget. *P. Gregor. lib. 17. de Republ. c. 2. & lib. 23. c. 8. Furio Ceriolan. in tr. de Conſil. c. 2. Hyppol. à Collib. in Palatin. pag. 20.*

CCXLVI.

Parum enim foret rectè ſentire, & prudenter intelligere, ſi quæ rectè ſentias, politè eloqui non poſsis.

CCXLVII.

Contra verò ſapientis hominis Eloquentia omnia poteſt, quæ aliæ artes nequeunt.

CCXLIIX.

Quam ob cauſſam flexanimam & patronam omnium rerum Eloquentiam veteres appellabant. *Cæſar Raco in diſcurſib. ſuis, tit. de Eloqu. Hipp. à Collib. in tr. de Princip. c. 7.*

CCXLIX.

Nec tamen multiloquam & vagam, ſed brevem, & argutam Eloquentiam laudandam eſſe cenſent.

CCL.

Non enim in ſententia dicenda, vel proœmiis, vel Epilogis opus eſt, ut tota dicentis induſtria in rei ipſius ſubſtantia defigatur:

CCLI.

Et quia memoria Eloquentiæ theſaurus eſt, & neceſſarium maximè vitæ bonum, *memoria* valere Conſiliarium neceſſe eſt. Memoria.

CCLII.

Præterquam enim, quod memoria the-

 ſaurus

ſaurus quidem eſt Eloquentiæ: prudentiàm quoque Conſiliarii magna ex parte compræhendit.

CCLIII.

Imò aliud prudentia eſſe non videtur, quàm multarum rerum memoria. *Rutger. Rutland. in tr. de commiſſ. Cam. p. 1. lib. 1. c. 9.*

CCLIV.

Et partem prudentiæ memoriam vocat *Ariſt. in lib. de memor. & reminiſc. latè Viv. in ſuis deciſ. deciſ. 123. n. 75. & ſeqq.*

CCLV.

Contra traditur, oblivionem ſapientiæ eſſe inimiciſsimam. *Zeno apud Ariſt. 3. Phyſi.*

CCLVI.

Et Conſiliarium pluribus artibus inſtructum eſſe oportere, ſuprà diximus, quas ſine vi memoriæ vix compræhendet.

CCLVII.

Quot enim in jure civili ll. quot capitula, quot in Oratoria facultate figuræ, quot tropi, quot periodi, quot in Arithmetica numeri, quot facti ſpecies, quot in Geometria figuræ, trianguli, tot rebus memoria conſervandis ſufficiens eſſe debet.

CCLIIX.

Talem autem memoriam exigimus, quæ huic provinciæ ſit apta, non quæ omnium recordetur.

CCLIX.

Id enim divinitatis potius, quàm huma-

nitatis

nitatis eſt, autore Iuſtiniano, *l.2.§.ſi quid a.C.vet. jur.enucl.*

CCLX.

Cum autem omnium hominum memoria, teſte ICo ſit labilis. *l. peregrè. D. acq. poſſ.* nos *quomodo ea acquiratur, augeatur, & conſervetur,* breviter & q. obiter videbimus. *Memoria quomodo acquiratur & conſervetur.*

CCLXI.

Memoria enim ſicut homo, creſcit & decreſcit, oritur & moritur. *l. quidam tabularum. §. quid ergò.1.D.furt.l.2.§.pen aq.& aq.pluvia.*

CCLXII.

Illud autem certum eſt inter omnes, memoriam conſtare naturæ beneficio, arte tamen augeri atq, excoli.

CCLXIII.

Quibus autem artibus uti debeat Conſiliarius, quæri poteſt.

CCLXIV.

ICti noſtri tradunt, ſtudium facere memoriam. *Rom.ſing.363.Zaſ.conſil.2.7.59.lib.2.* Et reiteratam lectionem facere præſumptionem, aliquem alicujus rei recordari. Et hanc quidem viam ingredi eſt expeditiſsimum.

CCLXV.

Hinc Seneca tradit, memoriam retineri ejus rei beneficio, ad quam ſæpè reſpicimus: & minui, niſi exerceatur: *de benef. Cic. de Senect. Petrarch.de remed. adverſ.fort.*

Sed

CCLXVI.

Sed hæc generalia eſſe quiſquam dixerit, alioſque faciliores modos reſtare affirmabit, *medicamentorum ſcil. vi memoriam comparari poſſe: An ergo id Conſiliario facere liceat?* videndum eſt, quod prima fronte dicendum videbatur.

An potionib. & medicamentis ad augendam memoriæ vim uti liceat?

CCLXVII.

Quemadmodum enim corpus infirmum medicamentis ſuſtinetur: ita & debilem memoriam medicamentis poſſe juvari.

CCLXIIX.

Hinc varia medicamenta ad memoriam conſervandam & augendam Medici proponunt,

CCLXIX.

Quod ex eo etiam probari videtur: quod plerique volunt, mulieribus ſcil. licere deformitatem faciei ſmegmate ornare, ut formoſiores, venuſtiores, elegantiores ſint & videantur: *ut pluribus ex ſacris literis & profanis in utramq́ partem allegatis diſputat Tiraq. de lb. connub. gl. 1. par. 3. in pr.*

CCLXX.

Contrarium tamen magni nominis Theologi defendunt, quorum ſententiæ, ut tutiori, nos etiam accedimus.

Theologorum ſententia.

CCLXXI.

Principio enim, dotibus naturæ à Deo datis

datis contentum eſſe quemlibet, honeſtum eſt, iisq; tantum mediis, quæ à Deo data ſunt, utendum eſt.

CCLXXII.

Nec ſunt facienda mala, ut eveniant bona.

CCLXXIII.

Conſtat autem, quod ex medicamento, quo ad acuendam memoriam utuntur, ſæpè morbi graviſsimi, ac funeſti exitus ſequantur, ut experientia confirmat.

CCLXXIV.

Non igitur medicamentis ejusmodi facilè utendum eſſe dixerim, cum nemo dominus ſit membrorum ſuorum.

CCLXXV.

Certè non diſsimili ratione ICi noſtri pœna afficiunt eum, qui poculum præbet amatorium. *l. ſi quis § qui abortum. D. pœnis. Menoch. 2. arb. jud. qq. caſ 358.* non attento, quod hic finis porrigentis bonus ſit, ut amorem atq; gratiam ſibi conciliet.

CCLXXVI.

Planè ſi per morbum amiſſa ſit memoria, medicamenta ad eam recuperandam licitè adhiberi, non invitus conceſſerim, præſertim ſi talia ſint, qualia Medici peritiſsimi præſcribunt. *Gratalor. in tr. de mod. comparand. retinendi & amitten. mem.*

CCLXXVII.

Accidit plerunq;, ut qui ingenio prompti ſunt, memoria parum valeant, contrà tardioris ingenii, ſunt aliquando tenaci memoria præditi. Quæritur igitur hoc loco: *utrum judicii an memoriæ potior ratio haberi debeat in futuro Conſiliario?*

Iudiciinè an memoriæ vis major.

CCLXXIIX.

Et judicium limatum memoriæ antecellere, ſimpliciter concludimus.

CCLXXIX.

Eſt enim vis judicii ſimpliciter res quædam divina, ſeu ſcintilla, & radius mentis divinæ, qua argumentamur, qua diſſerimus, ac concludimus.

CCLXXX.

Eſtq; longè difficilius in uno quoq; negocio gravi quid optimum ſit exponere: quàm eorum, quæ ab aliis ꝓpoſita ſunt, meminiſſe.

CCLXXXI.

Quod ſi utraque mediocriter conſpirent; tunc verò neſcio, quid divinum ac ſingulare ſoleat exiſtere!

CCLXXXII.

Linguarum cognitio.

Eloquentiæ *linguarum* etiam ſubjicimus *cognitionem*, qua ornatus eſſe debet Conſiliarius, eorum præcipuè populorum, quibus

Princeps

Princeps ejus imperat, aut amicis vel hoſtibus utitur.

CCLXXXIII.

Adfert hæc cognitio magnum uſum ad quaſlibet res commodius tractandas.

CCLXXXIV.

Qui enim interprete uti coguntur, quæ proferunt, nec tam grata, nec tam efficacia eſſe poſſunt.

CCLXXXV.

Addo, quod qui vicariæ alterius operæ confidunt, ſæpiſsimè decipiantur.

CCLXXXVI.

Hac de cauſſa Themiſtocles, cum Athenis profugus, ad Regem Perſarum conceſsiſſet, animi ſui petitionem exponere noluit, priusquam Perſicam addidiciſſet linguam, ut ſine interprete, quod plurimum referre arbitratus eſt, cum Rege loqui poſſet.

CCLXXXVII.

Et ſanè ſi veredarii etiam, tabellarii, nautæ, mercatores, & quicunque ad faciendum quæſtum, diverſas gentes accedere ſolent, plures ideò linguas addiſcunt, ut ſuis potius quàm alienis auribus ea excipiant, quę petentibus reſpondentur, quantò magis magni Principis Conſiliarius futurus, in id ſedulò eniti debet?

CCLXXVII.

Accidit plerunq;, ut qui ingenio prompti ſunt, memoria parum valeant, contrà tardioris ingenii, ſunt aliquando tenaci memoria prædici. Quæritur igitur hoc loco: *utrum judicii an memoriæ potior ratio haberi debeat in futuro Conſiliario?*

Iudiciinè an memoriæ vis major.

CCLXXIIX.

Et judicium innatum memoriæ antecellere, ſimpliciter concludimus.

CCLXXIX.

Eſt enim vis judicii ſimpliciter res quædam divina, ſeu ſcintilla, & radius mentis divinæ, qua argumentamur, qua diſſerimus, ac concludimus.

CCLXXX.

Eſtq; longè difficilius in uno quoq; negocio gravi quid optimum ſit exponere: quàm eorum, quæ ab aliis ꝓpoſita ſunt, meminiſſe.

CCLXXXI.

Quod ſi utraque mediocriter conſpirent; tunc verò neſcio, quid divinum ac ſingulare ſoleat exiſtere!

CCLXXXII.

Linguarum cognitio.

Eloquentiæ *linguarum* etiam ſubjicimus *cognitionem*, qua ornatus eſſe debet Conſiliarius, eorum præcipuè populorum, quibus

Princeps

Princeps ejus imperat, aut amicis vel hoſtibus utitur.

CCLXXXIII.

Adfert hæc cognitio magnum uſum ad quaſlibet res commodius tractandas.

CCLXXXIV.

Qui enim interprete uti coguntur, quæ proferunt, nec tam grata, nec tam efficacia eſſe poſſunt.

CCLXXXV.

Addo, quod qui vicariæ alterius operæ confidunt, ſæpiſsimè decipiantur.

CCLXXXVI.

Hac de cauſſa Themiſtocles, cum Athenis profugus, ad Regem Perſarum conceſsiſſet, animi ſui petitionem exponere noluit, priusquam Perſicam addidiciſſet linguam, ut ſine interprete, quod plurimum referre arbitratus eſt, cum Rege loqui poſſet.

CCLXXXVII.

Et ſanè ſi veredarii etiam, tabellarii, nautæ, mercatores, & quicunque ad faciendum quæſtum, diverſas gentes accedere ſolent, plures ideò linguas addiſcunt; ut ſuis potius quàm alienis auribus ea excipiant, quę petentibus reſpondentur, quantò magis magni Principis Conſiliarius futurus, in id ſedulò eniti debet?

CCLXXXIIX.

Turci, licet barbarorum ferociſsimi, & à literis maximè alieni, cum re ipſa linguarum ſummam videant utilitatem, quot linguas quis callet, totidem viris illum æquivalere, vulgato proverbio dictitant: *Guilhelm. Poſt. de reb. Turcic.*

CCLXXXIX.

Nec alia fuit ratio, quare Carolus IV. Imperator bulla illa aurea, quæ de Imperatorum Electione agit, inter alia hoc quoq; præcipiat, ut Electorum filii primis ab annis Latinam, Italicam, & Illyricam addiſcerent linguam, ut ſermonem cum his gentibus communicare poſſent. *Hippolyt. à Collib. in tr. de Conſiliar. Princip. pag. 181. P. Gregor. lib. 15. de Republ. c. 4.*

CCXC.

Officia Conſiliarii. Ad officium Conſiliarii tranſeundum eſt: quod fere in eo conſiſtit, ut *Principem ſuum & Rempub. præcipuè ſincero amore, & pietate debita proſequatur.* *Amor Principis & Reipub.*

CCXCI.

Nihil enim eſt acuto ingenio, nihil callido conſilio ſine fide, ſine Reip. ſtudio, ſine patriæ caritate pernitioſius.

CCXCII.

Et ut paucis multa comprehendam: *erit Conſiliarius, vir bonus, juſtus & integer,* cujus

cujus vita, ut ait Plin. in Panegyr. *Cenſura ſit, eaq; perpetua, ad quam cæteri magiſtratus dirigantur: ad quam ii convertantur, quibus non tam Jmperio, quàm exemplo opus eſt.*

CCXCIII.

Cætera quæ de virtutibus harum perſonarum dici poſſunt, veluti de ſtudio veritatis, de animi alacritate, de conſtantia, de libertate in loquendo, de cautionibus in admonendo, vigilantia in inveſtigandis iis, quæ ad Principem pertinent, vel ad aulam, aut Rempub. cui præſunt: vel ad ceterorum adminiſtrorum & Conſiliariorum naturam, mores, omnem denique adminiſtrationem: hæc inquam, omnia, quia ſingularia ſunt, & latiſsimè ſe diffundunt, habita præſentis noſtri inſtituti ratione omittimus.

CCXCIV.

Cetera interim, quæ ad officium Conſiliarii pertinent, aliquot illuſtriſ. quæſtionibus diſcutienda proponimus.

CCXCV.

Inprimis igitur quæri hoc in loco poteſt, *Num Conſiliarius tam diligens eſſe debeat, ut etiam non requiſitus, Principi ubi res poſtulat, conſilium ſubminiſtrare teneatur?*

An Conſiliarius etiam non requiſitus conſulere & monere debeat?

 Dubium

CCXCVI.

Dubium movet, mos inveteratus petendi conſilium. CCXCVII.

Et quod is, qui conſilio dando ſe ingerit, curioſus videatur.

CCXCIIX.

Quin etiam ſuam cenſeatur prudentiam majoris facere, quàm Principis, & aliorum Conſiliariorum, quod odioſiſsimum eſt.

CCXCIX.

Vt igitur non eſt boni medici, ſe, cum vocatus non eſt, intrudere ad ægrotum; Sic nec Conſiliarii ad Principem.

CCC.

Verùm hiſce rationibus non obſtantibus, exiſtimant eruditiores, in rebus magni momenti, poſtulante neceſsitate, eum quod ſibi videatur, etiam non rogatum, Principi ob bonum publicum denunciare debere: *Hipp. à Collib. in tr. de Conſil. pag. 209. & ſeqq.*

CCCI.

Idq; à Romanis etiam Senatoribus obſervatum fuiſſe, ut neceſsitate urgente, ultrò poſtularet, ut ſibi de Repub. dicere liceret, dubium non eſt.

CCCII.

A majoribus, ait *Tacitus lib. 2. annal,* conceſſum, egredi aliquando relationem, & quod

quod in commune conduceret, loco ſenten-tiæ promere.

CCCIII.

Sic Cato etiam cum de alijs rebus conſu-leretur in Senatu, cenſere ſe dicebat. delen-dam eſſe Carthaginem, *Plutar. in Caton.*

CCCIV.

Quod tamen tempeſtivè facere debet Conſiliarius, & re prius exactè diligenterque examinata: ut prudenter admonet noſter Hippolytus.

CCCV.

Ex his iterum ſeſe prodit alius etiam inſi-gnis Macciav. error *in tr. de Princip. c. 23.*

CCCVI.

Princeps ait ille, *ne ab aſſentatoribus circumveniatur, edicere debet amicis & Con-ſiliariis ſuis, ne quicquam ipſi ſuadeant, neve ulla de re cum ipſo colloquantur, niſi de qua ultrò ab ipſo ſermo inſtitutus fuerit.* *Macciavelli error.*

CCCVII.

Et ſimulat quidem verbo Macciavellus, ſe utile conſilium velle dare Principi, ne vide-licet aſſentatoribus aurem accommodet: re ipſa verò nihil aliud agit, niſi ut Principem doceat, qua ratione ſe regendum illis permit-tat.

Quippe

CCCIIX.

Quippe non eſt alius adulator exitioſior, quàm is, qui, quanquam res Principis ſui in deterius labi videat, tamen ſciens prudensq; diſsimulat.

CCCIX.

Prudentis enim fidelisq; Conſiliarii pręcipuum munus eſt, aperire Principi, quoties opus fuerit, quæcunq; vel à Magiſtratibus Reip. vel à privatis peccantur, ut admonitus iis maturè proſpiciat.

CCCX.

Quid ſi conjurationis adverſus Principem initæ conſilia ſenſerit, an ea occultè habere debeat? Minimè gentium.

CCCXI.

Nam ea niſi patefecerit, lb. reus majeſtatis tenetur.

CCCXII.

Quos ergò in familiaris amicitiæ jura Princeps extulit, quos arcanis ſermonibus & conſiliis adhibet, qui Principis ſui miniſterio præter ceteros ſubditos, fidem obſtrictam habent, nonne hoſtes & proditores judicandi ſunt, ſi ea reticent & premunt, quę ad ipſius propriè curam & providentiam pertinent?

CCCXIII.

Expectare enim donec ipſe Princeps ſermonem

monem ſeriis de rebus ad Rempub. pertinentibus injiciat, vanum eſt.

CCCXIV.

Neq; is de negociis agere poteſt, quæ ſæpè neſcit: neq; vel domi incluſus, vel magno comitatu cinctus, ea ſcire aut curare, quæ ad ipſum non perveniunt, niſi quantum iis videatur, quorum in poteſtate ſunt Principis aditus.

CCCXV.

Itaq; meritò de aulicis aſſentatoribus querebatur Diocletianus, qui veritate rerum ſuppreſſa Principem fumis paſcerent. *pulcrè Gentilet. lib. 1. adverſ. Macciavell. theor. 2.*

CCCXVI.

Altera quæſtio hîc tractari poteſt: *Si Conſiliarius, in Conſiſtorio conſilium aliquod tractatum iri ſciat, cui ſalva conſcientia aſſentiri nequit, an ſi eo die domi ſe contineat, officium ſuum minus diligenter & fideliter feciſſe dici poſſit?*

Debeatnè Conſiliarius in Senatum venire, quando ſcit conſilium aliquod tractatum iri, cui ſalva conſcientia aſſentiri nequit?

CCCXVII.

Dubitandi cauſſa eſt, quia tutius eſt in ſenatum non venire, quàm in aliam trahi ſententiam, & adverſus conſcientiam agere.

CCCXIIX.

Adde quod is culpa carere videatur omni, qui in tam iniquam rem non conſenſit.

 Nec

CCCXIX.

Nec ſi tum temporis in ſenatum veniat, quicquam proficiet, cum in ſententia propria ſolus futurus ſit.

CCCXX.

Sic *an Senatori in Conſilium tyranni vocato veniendum ſit, præſertim, ſi is aliqua de re bona deliberaturus ſit*, ex politicis non pauci ſunt, qui dubitant, idq; magnum τ῀ *πολιτικωτάτων σκεμμάτων vocat Cicero lib. civil. quæſt.*

CCCXXI.

Contrarium tamen ex ſuperioris quæſtionis deciſione facilè elucet.

CCCXXII.

Nam ſi & non rogatus, publici boni cauſſa, conſilium dare Principi meo teneor, multò minus ſalva fide effugere potero, ne roger.

CCCXXIII.

Tantum igitur abeſt, ut hæc ſit legitima abſentiæ cauſſa, ut Conſiliarium contra eò magis urgere deberet, Senatum eo die adeundi.

CCCXXIV.

Occaſio enim rerum graviorum veros à ceteris diſtinguit Conſiliariis.

CCCXXV.

Illi enim, quo periculoſiora inſtant negocia, eò magis ſe ad ea, & juvandam Rempub. accin-

accingunt, hi urgentibus vel minimis difficul-tatibus libenter ſe ab eis ſubducunt.

CCCXXVI.

Vetus illa lex & Reip. utiliſsima: SENATORI QVI NEC ADERIT AVT CAVSA, AVT CVLPA ESTO. *Cic. 3. de lb.*

CCCXXVII.

Et boni Senatoris eſt, *ait Cic. pro domo*: ſemper in ſenatum venire. *Hippolyt. à Collib. in d. tr. de conſil. pag. 211. & ſeqq.*

CCCXXIIX.

Ex his dilucidè apparet, quid ei quæſtioni reſpondendum ſit:

CCCXXIX.

Si Conſiliarius priorem ſententiam non probet, an (quia puta offenſionem metuit) tacendo, & capite annuendo muneri ſuo ſatisfaciat?

CCCXXX.

Quamvis enim dici ſoleat, eum qui tacet, in rebus quæ noxiæ eſſe poſſunt, non haberi pro conſentiente: *Dd. com. in c. qui tacet. R. I. in 6. & in l. 2. ubi pulcrè Coſt. in fin. D. ſol. matr. Schurff. conſ. 3. n. 16. & ſeqq. cent. 1. & conſ. 98. cent. 2. Mynſ. reſp. 2. n. 31. & ſeqq. Zanger. de except. p. 2. c. 1. n. 128.*

CCCXXXI.

Id tamen hoc in loco non obtinet, ubi manifeſtè annuere eum apparet, alioquin clarè diſſenſurum, & diſſenſus ſui cauſſam adducturum.

CCCXXXII.

Quin imò dicendum eum dupliciter peccare, aſſurgendo vel annuendo, & ſic conſentiendo: & tacendo, quando maximè loquendi tempus erat.

CCCXXXIII.

Scienti enim bonum, & non facienti, peccatum eſt illi: *Iac. 4. pulcrè Hippol. noſter In loco præallegato.*

CCCXXXIV.

Quæritur: *An aulicus Conſiliarius xenia ſibi oblata accipere poßit?* Et cum Antonino reſpondemus:

An xenia ſibi oblata Conſiliarius accipere debeat?

CCCXXXV.

οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, hoc eſt, neq; omnia, neq; quovis tempore, neq; ab omnibus. *l. ſolent. 6. de off. proconſ. Politian. in miſc. c. 95.*

CCCXXXVI.

Nam valdè inhumanum eſt, à nemine accipere, ſed paſsim, viliſsimum, omnia, avariſsimum.

CCCXXXVII.

Laude digni illi ſunt, qui à privatis & pauperibus nihil, inprimis juſticiæ promovendæ cauſa: ſed à Principibus oblata, grata mente accipiunt: deteſtandi, qui juſticiam & veritatem vendunt.

CCCXXXIIX.

Placet in hoc capite etiam illud diſputare:

Num

Numnam conſilii ſeu ſententiæ mutatio in Conſiliario & viro ſapiente abſolutè repræhendenda ſit?

An Conſiliario à priori ſententia recedere aliquando liceat?

CCCXXXIX

Dubitandi ratio: quia Conſiliarium conſtantem eſſe decet, fortem atque imperterritum.

CCCXL.

Quodq; ſapienti, ut eſt virtus ὁμογενὴς eadem frons, nullis tempeſtatibus perturbata eſſe debeat. *Cice. de off. l. 4. §. 2. ibid. nec poſſe poſtea variare. D. leg. 2.*

CCCXLI.

Nec etiam ICtum bonum virum deceat, ut Metra Eriſichtonis, vel Proteo mutabilior ſit.

CCCXLII.

Quia juſticiæ quod eſt contrarium, perpetuam dignitatis laudem non habet.

CCCXLIII.

Et quod de Principe præclarè ait Bl. noſter, id de Conſiliario Principis adminiſtro pari ratione dici poteſt.

CCCXLIV.

Nullam unquam in eo inconſtantiam eſſe debere, ſed unum habere calamum, unam linguam, & non plures, & eſſe immobilem ſicut lapis angularis, & ſicut polus in cœlo. *Dec. ad l. nemo poteſt. 75. n. 3. D. R. I.*

CCCXLV.

Neq; aliam ob cauſſam veteres Philoſophi ſapientem ſuum VIRVM BONVM modò ὀρθὸν appellarunt; id eſt, rectum, & æqualem. Vnde Stoicorum κατόρθωμα metaph. à Geom. deſumpta.

CCCXLVI.

Modò τετράγωνον, quadratum, illuſtri metaphora, qua ſignificarunt hominem conſtantem, firmumq; ex ſeſe, ſuisq; virib. pollentem, & undequaq; adeò bene virtutis præſidio fultum, & quaſi quadrata baſi poſitum, ut difficulter loco cedat, id eſt, ea agat, quæ repræhenſione vel odio digna ſint. *Ariſt. 1. Eth. 10. & ibid. Simon Simonius.*

CCCXLVII.

Quę tamen omnia minimè eò pertinent, ut ſententiam Conſiliario ex cauſſa mutare non liceat.

CCCXLIIX.

Demens enim eſt, qui in errore perſiſtit.

CCCXLIX.

Et præſtat mutare in melius, quàm in malè cæptis pergere.

CCCL.

Nec propoſitum infringere eum judicant Canones, qui in melius commutat. *c. 3. jurejur.*

CCCLI.

It enim alio quidem gradu, ſed non alia

via:

via: nec ſe in aliquib. mutat, ſed potius aptat. *Seneca.*

CCCLII.

Medicus quidam ægroto medicamentum dare juſſerat, id congruens ratus, ſed re maturius deliberata, noxium reperit, dicemusne hîc medicum ſententiam priorem mutare non debere? Minimè verò.

CCCLIII.

Eadem eſt Conſiliarii ratio, qui conſilium utilitatis publicæ cauſſa mutare tenetur.

CCCLIV.

Sic Doctor juris absq; famæ ſuæ læſione, ſuum conſilium mutare poteſt, *arg. l. fin. C. furt. Cujac. 2. obſervat. 37. Cagn. ad l. nemo poteſt. 75. n. 41. & ibid. Sturc. n. 22. de R. I.*

CCCLV.

Magnæ enim ſapientiæ eſt, revocare hominem, quod malè locutus eſt. *c. magna. 22. q. 4.*

CCCLVI.

Nec dicitur fallax, ſi ad rei veritatem revertatur. *c. apud. 32. q. 1.*

CCCLVII.

Nec eſt quod levitatis notam timeat:

CCCLIIX.

Nemo enim doctus (*ait Cicero*) mutationem conſilii inconſtantiam dixerit.

CCCLIX.

Et alibi: Nunquam præſtantibus in Republ.

publ.gubernanda viris, laudata eſt in una ſententia perpetua permanſio.

CCCLX.

Et ut demus: in conſilii mutatione inconſtantiam aliquam ſubeſſe: Nonne Conſiliarius, qui ſuo honori Reipub. ſalutem antefert, eò magis laudem merebitur?

CCCLXI.

Notum eſt illud de Fabio: & dignum, quod Regum palatiis aureis literis apponatur;

Non ponebat enim rumores ante ſalutem:
Ergo poſtq; magisq; viri nunc gloria claret.

CCCLXII.

An Conſiliario aliquando liceat ambigere?

Non diſsimilis eſt illa quæſtio: *An in ſententia dicenda Conſiliario aliquando ambigere liceat?* quod planè negandum non eſt.

CCCLXIII.

Nonnunquam enim difficultate rei excuſamur, nonnunquam ſententiarum varietate animum gerimus diſtractum, dubitantes cui potius opinioni ſit adhærendum.

CCCLXIV.

Ipſe etiam Ariſtoteles in ferendo ſuffragio bis ambigere permittit, quanquam, ſi quis tertium titubet, jus eum ſententiæ dicendæ vult amittere. *Grimal, Goſlic, lib. 1. de optim. Senat. pag. (mihi) 178.*

CCCLXV.

Meminiſſe tamen id oportet, quod eximius

mius quidam politicus vir, ſcriptum reliquit: Aulicos Conſiliarios qui ad diverſas curas & opiniones trahuntur, non magnifieri.

CCCLXVI.

Eſſe igitur debere promtos in animi cogitationibus explicandis, & conſtantes in iis defendendis.

CCCLXVII.

Illud non eſt uſquequaque expeditum, *quid Conſiliario ſit ſtatuendum eo caſu, ſi id, quod in deliberationem cadit, plures ac majores utilitates in ſpeciem habere videatur, ſi id ipſum conſequamur, quam incommoda, quæ ad nos perventura ſint, ſi eo careamus?* Et veterum ſententia verior eſt, rerum dubiarum, & quæ in caſu poſitæ ſunt, quoties agitur de Republ. nullum pondus eſſe oportere.

Quid faciendum ſit Conſiliario, ſi id de quo deliberatur majores utilitates in ſpecie habere videatur, quàm incommoda ſi eo careamus?

CCCLXIIX.

Quare prudentiſsimi quiq; ita cavendum ſibi putant, ut Principes quidem civitatis, minimè malos homines, earum ſententiarum, quarum dubius eſt ac incertus eventus, autores eſſe malint, quàm ſe ipſos, ut culpa vacare, ſi res malè ceſſerit, aut ſi proſperè, laudem ferre poſsint: *pulcrè Bodin. lib. 3. de Repub. c. 1.*

CCCLXIX.

Quæritur, *quo ordine ſententiæ dicendæ*

Quo ordine ſententiæ dicendæ

J *ſint,*

ſint, & quis ordo ſuffragandi eſſe debeat? *ſint, & quis ordo ſuffragandi eſſe debeat?* in qua re obſervāda eſt cujusq; Reip. conſuetudo, & id bonum, juſtum, utile, æquum putandum eſt, quod ratio communisq; uſus hominum ab antiquis temporibus recepit.

CCCLXX.

Præſtat autem Seniorum prudentiorumque ſententias antè audire, ut juniores de his habeant longius deliberandi tempus.

CCCLXXI.

Juniorum ſententiæ antè dictæ, plerunq; ſenum conſilia diſtrahunt, & varietate opinionum irretiunt: *Grimal. Goſlic. in tr. de opt. Senat. lib. 2. pag. 177.*

CCCLXXII.

De electione Conſiliarii. *Hactenus de officio etiam Conſiliarii breviter à nobis tractatum eſt:* Fruſtra a. Conſiliarium informare videbimur: niſi Principi etiam ſit proſpectum, quomodo in electione rectè ſibi caveat.

CCCLXXIII.

Ab electione enim Conſiliarii, omnis honor, utilitas, infamia atque ruina populi, & Principis dependet.

CCCLXXIV.

Quomodo electio fieri debeat? Videamus igitur, *qua ratione Princeps, cui in ſua prudentia parum præſidii eſt, fideles Conſiliarios nanciſci poſſit?* quod vel prudentiſsimis Principibus arduum eſt.

Sunt

CCCLXXV.

Sunt enim mortalium pleriq; falſi, occulti, callidi, turpes animos ſub dola modeſtia tegunt, & quos integros multi crediderant, alios eſſe magiſtratus prodit, ubi quæſtus, aut quælibet alia ſpes, excutiendę virtutis ingenio materiam præbuit.

CCCLXXVI.

Tam verum, quàm vulgatum proverbium eſt; *Honoribus mutari mores.*

CCCLXXVII.

Multos enim videas in privata fortuna faciles, & comites erga humilimum quemq;, mox ubi ad honores aſcendêre, eò ſuperbiæ venire, ut vix etiam familiari uſu notos agnoſcant.

CCCLXXIIX.

Hæc igitur morum inconſtantia, quæ multorum ingeniis inſita eſt, rem per ſe difficilem, difficillimam Principi facit, laboranti ne aberret, in deligendis viris, quos in cônſilium adhibeat.

CCCLXXIX.

Verum, etſi facilè non eſt docere quibus illos notis diſcernat, quibusq; veſtigiis ſequatur ac reperiat, operæ precium tamen eſt diſpicere hoc loco, *quid in Principis amicis probandis legendisvè ſapientes obſervaverint.*

CCCLXXX.

In qua re luculentum atque imitandum videtur exemplum Alexandri Principis atq; inſtitutum, quo in Conſiliariis & Magiſtratibus legendis uti conſueverat.

CCCLXXXI.

Primum enim Præſides, Proconſules, & Legatos nunquam ad beneficium faciebat, ſed ad judicium vel ſuum, vel ſenatus.

CCCLXXXII.

Atq; adeò non niſi honeſtos & bonæ famæ homines, & ſi aliis in muneribus ſui ſpecimen dediſſent, ad honores admittebat.

CCCLXXXIII.

Itaque ubi voluiſſet aliquos vel Rectores provinciis dare, vel præpoſitos facere, vel procuratores, id eſt, rationales ordinare, ut ſi quis quid haberet criminis, manifeſtis rebus probaret: dicebatq; grave eſſe, cum id Chriſtiani & Iudæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus fortunæ hominum committerentur, & capita.

CCCLXXXIV.

Honores præterea vendi nunquam paſſus eſt, & eos, qui precio vel ſordibus ambirent, rejiciebat.

CCCLXXXV.

Contra probos ac prudentes viros, ceterum

rum quietos, & à publicis muneribus abhorrentes, ut ſuſciperent, cogebat.

CCCLXXXVI.

Idem nunquam Senatorem ſine omnium Senatorum, qui aderant, conſilio fecit, ita ut per ſententias omnium crearetur, & teſtimonia dicerent ſummi viri: ac ſi fefelliſſent, vel teſtes, vel ii, qui ſententias dicebant, poſtea in ultimum rejicerentur locum, civium condemnatione adhibita, quaſi falſi rei approbati, ſine ullius indulgentiæ propoſito.

CCCLXXXVII.

Scilicet hæc illis inurebatur culpæ congruens nota.

CCCLXXXIIX.

Nam qui indignum hominem illicito more provehere nititur, dignus eſt ipſe, qui ordine & loco moveatur. *Innoc. Gentilet. 1. adverſ. Macciav. theor. 1. Vincent. Caſtellan. lib. 1. de off. Reg. c. 55.*

CCCLXXXIX.

Ex his non difficile eſt, reſpondere dubitationi quorundam, *An in electione Conſiliarii, aliquam generis, familiæ, opum, gratiæ, vel potentiæ rationem Princeps habere debeat?* quod regulariter nego. *An in electione generis, opum, & potentiæ ratio haberi debeat?*

CCCXC.

Magiſtratus n. & honores tribuendi ſunt ratione virtutis, non favoris, opum, potentiæ.

CCCXCI.

Qui hoſtem feriet, is mihi Carthaginenſis erit, dicebat Hannibal.

CCCXCII.

Ceterum tunc aliquam horum rationem haberi convenit, cum virtus utrinq́, par eſt, ut ſi competitorum neuter ab altero vincatur, tunc pro ſuo arbitrio Princeps officium ei conferre poterit, qui potentia, gratia, vel meritis ſuperior ſit: Etſi nihilominus tali caſu Princeps eum ornare teneatur, qui plus officiorum Reip. præſtiterit.

CCCXCIII.

Certiſsimum enim eſt, honores & officia uno ex tribus modis dari: aut propter merita, aut gratiam, aut potentiam.

CCCXCIV.

Prior virtuti, ultimus abuſui aſsignandus eſt: Medius licet abuſu non careat, tamen is tantus non eſt, quantus poſterior.

CCCXCV.

Nec dicat quisquam, nobiles & equites remunerandos eſſe, ratione familiæ & officiorum: Id enim & nos fatemur fieri planè oportere: Verum aliud eſt gratiam reponere, & aliud officium conferre.

CCCXCVI.

Nec poterit quisquam hoc iniquo animo

ferre;

ferre: Quid enim magis præclarum eſt, ut ii, qui genere nobiles ſunt, cum virtute, virtutis dignitate contendant, non virtutis invidia virtuti interitum machinentur, propriam nobilitatem tueantur, & aliam rectè naſcentem non impediant?

CCCXCVII.

Omnis enim nobilitas ex virtute ortum habet, eaq; tam diu dignitatem ſuam retentura eſt, dum in illa ſplendor virtutis illuxerit.

CCCXCIIX.

Nec dicat quiſquam: Principem liberum eſſe, & facultatem conferendi officia, quibus velit, habere. Non enim eſt libertas, quę à rectæ rationis via recedit, ſed abuſus.

CCCXCIX.

Et una ex certiſsimis regulis, Principem à tyranno diſcernendi, hæc eſt, quod Princeps officia atq; honores ratione virtutis, tyrannus reſpectu favoris atq; potentiæ ea diſtribuit.

CCCC.

Et Principem, qui in officiis & magiſtratibus conferendis favorem & potentiam reſpicit, aut principatu deturbari, aut eum ad tertiam uſq; generationem non poſsidere, præſtantiſsimi rerum politicarum Scriptores obſervarunt. *Furio Ceriolan. in tr. de Conſ. Princ. c. 5. Pulcrè Middendorp. ad quæſt. polit. 72. interpp. quæſt. 40.*

CCCCI.

Quod *ſi de iis quæratur, qui gloriam majorum virtute quæſitam, omni pectore conſervant, hinc præferendi ſint, an illi, qui nullo domeſtico exemplo incitati ad nobilitatem pervenerunt*; non negarim illos anteponendos eſſe.

CCCCII.

Hi enim tantum virtute ſua, illi quia majorum veſtigiis ingreſſi ſunt, non tantum ſua, ſed ſuorum etiam virtute clari exiſtunt.

CCCCIII.

Nec minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri;

CCCCIV.

An patriæ, nationis, & originis conditio attendenda?

Similis eſt illa quæſtio: *An in eligendis Conſiliariis, Princeps aliquam patriæ, nationis, & originis rationem habere debeat?* quod ipſum etiam regulariter negandum eſt.

CCCCV.

Non enim plures quàm duæ nationes in toto mundo inveniuntur, alia bonorum, alia malorum.

CCCCVI.

Boni undecunq; illi ſint, ejusdem patriæ, ſanguinis atq; familiæ ortu cenſendi ſunt, ac mali eadem ratione.

CCCCVII.

Et cum natura cognationem quandam

inter

inter omnes homines conſtituerit, alter alteri quid præſtat ?

CCCCIIX.

Vniverſus enim mundus eſt hominum domus atq; domicilium.

CCCCIX.

Interim non negamus, amicis, domeſticis, vicinis, gentilibus, ſi in æqua libræ lance cum extraneis inveniantur, tanquam proximioribus ſubveniendum eſſe.

CCCCX.

Sed ſi extraneus gravitate rationum præponderet, cur non melioris aut æqualis cum ceteris, conditionis eſſe debeat ? *fac. trad. per Dana. lib. 2. Eth. Chriſt. c. 20.*

CCCCXI.

Quod ſi Princeps Conſiliariis unius tantum provinciæ delectetur, vix eſt, ut non amoris vel factionis ſtudio rapi, vel affectione peculiari duci videatur.

CCCCXII.

Nam quando omnis favor, vel ejus maxima pars in unicam gentem confertur, illa neceſſariò elata ſuperbeſcit: & aliæ indignatione accenſæ ei invident, maledicunt, atque

rum eſt, cuiquam ſe, niſi ratione poſtulante vitricum exhibere. *Far. Ceriolan. in tr. de Princ. Conſ. c. 4.*

CCCCXIV.

An clerici poſſint fieri Conſiliarii Principis laici?

Quæritur etiam *an clerici poſſint eligi in Conſiliarios Principis laici?*

CCCCXV.

Dubitandi cauſſa eſt: quod non deceat Epiſcopum & presbyterum publicis ſe adminiſtrationibus immittere, ſed vacare, & ſe commodum exhibere uſibus Eccleſiaſticis, *Can. Apoſt. 8.*

CCCCXVI.

Atq; inde perſonis Eccleſiaſticis immunitates conceſſæ ſunt, ut poſsint omnibus aliis derelictis miniſteriis Dei omnipotentis inhærere. *l. generaliter. ſ 2. C. Epiſc. & Cler.*

CCCCXVII.

Et abſurdum foret, ſi promiſcuis actionibus rerum turbentur officia, & alii creditum alius ſubtrahat. *l. 2. C. teſtam.*

CCCCXIIX.

Et præcipuè clerici, quibus opprobrium eſt, ſi peritos ſe eſſe velint diſceptationum forenſium. *l. repetita. C. Epiſc. & Cler. l. placet. 7. C. eodem.*

CCCCXIX.

Nuſquam tamen prohibitum invenio, quin potius permiſſum eſſe arbitror, ut clerici etiam ſecularibus Principibus à conſiliis eſſe queant, quod & uſus hodiè ubiq; obſervat.

Et

CCCCXX.

Et aliquando neceſſarium eſt, maximè in eo Senatu, in quo de cauſsis fidei & religionis, deque ſpiritualibus controverſiis deliberandum eſt.

CCCCXXI.

Modo à criminalibus judiciis abſtineant, & intra ſui muneris cancellos ſe contineant: non ut plerumq; fieri ſolet, ſuis ſedib. relictis, voluptatum atq; ſimultatum fiant mancipia. *latè & pulcrè Petr. Gregor. lib. 4. partit. jur. Can. tt. 8. c. 9 lit. h.*

CCCCXXII.

Hûc pertinet etiam illa quæſtio: *An Princeps novus Imperii ſucceſſor, ſui prædeceſſoris Conſiliarios mutare, & à ſe dimittere debeat?* Quod non niſi ex magna cauſſa faciendum eſt. *An Princeps novus Imperii ſucceſſor priores Conſiliarios mutare debeat?*

CCCCXXIII.

Omnis enim ſubita mutatio periculoſa eſt.

CCCCXXIV.

Et ab iis multa gubernationi utiliſsima Princeps novus addiſcet.

CCCCXXV.

Et prudenter Ludovicus XI. Galliarum

CCCCXXVI.

Se enim re ipſa expertum, in quot, quantaq; diſcrimina, vel unica hac de cauſſa veniſſet, quod excellenti, probataque virtute viros ab aula pepuliſſet.

CCCCXXVII.

Planè qui poſt Principem inviſum & cujus Imperii pœnitet, principatum acceperit, is veteris aulæ miniſtris abjectis, probos & expertos rectè adſciſcit. *Innocen. Gentilet. 1, adverſus Macciavell. theor. 2.*

CCCCXXIIX.

Numerus Conſiliariorum. *Numerus eorum qui ad Conſilium legendi,* arbitrarius eſt: Meminiſſe tamen debet Princeps ejus, quod & Philoſophus docet: non debere Principem uni tantum Conſiliario omnia ſua committere.

CCCCXXIX.

Rarò enim hoc felicem exitum nanciſci ſolet.

CCCCXXX.

Qui enim unum amat, videtur ceteros odiſſe.

CCCCXXXI.

Audax eſt Princeps nimium, *ait ille*, qui ut amet unum, ſeſe reliquis omnibus inviſum facit.

CCCCXXXII.

Conſiliarii ſecretiores. Non tamen multi Conſiliarii ſecretiores

eſſe

eſſe debent, quibus ſumma quæq; deliberanda, decernendaq; committantur, ne Imperii arcana facilè in vulgus manare poſsint. *Hipp. à Collib. in tr. de Princip. c. 9. in fin.*

CCCCXXXIII.

Notum eſt proverbium: Septem convivium: Novem convitium.

CCCCXXXIV.

In magno numero nihil ordine geri poteſt, & omnia, quæ celanda, evulgantur.

CCCCXXXV.

Carolus V. Imperator ultra quatuor Conſiliarios ſecum non adhibebat in arcanis rebus, atq; cum his conferebat. *Heresbach. 2. de Repub. c. 8.*

CCCCXXXVI.

Reliquum erat, ut de rebus, quæ in Principum conſilio tractari debeant, & de fine Conſiliorum ageretur: Sed quia nobis propoſitum eſt, hoc loco non totam artem conſultandi deſcribere, ſed unam tantum partem, quæ eſt in perſona conſulentis: ideò tractationem illam alii commentationi reſervabimus.

CCCCXXXVII.

quæ, qua potui brevitate ad finem perduxi, additis doctorum virorum teſtimoniis: ne me quis, licet in re valdè diſsimili, Domitianum imitatum objicere poſsit, qui plurima opera incendio abſumta, reſtituit, ſed omnia ſub tto. tantum ſuo, ac ſine ulla priſtini autoris memoria *Sueton. in Domit. c. 5.*

Occaſione præcedentium Coronidis loco ſubjicimus.

1. *Vtrum in ſtatu innocentiæ (quam vocant) futura erant Reſpublicæ & regna?*

vide tradita per Fox. Morzill. lib. 1. de regn. regisque inſtit.

2. *Vtrum Reges ſint tempore naturaq́ ſubditis ſuis, an contra, ſubditi Regibus ſuis priores, & utri alii alios præceſſerint, crearint, ac conſtituerint?*

3. *Vtrum quò major atq; populoſior eſt civitas quapiam, eò felicior ſit atq; tutior?*

4. *Vtrum oporteat quemvis pium hominem certæ Reipubl. certaq́ civitatis civem eſſe?*

5. *Noſtrisnè conſiliis, an divinitus, boni maliq́ contingant Principes?*

Heresbach. 1. de erud. Princ. lib. c. 7. Patric. lib. 1. tt. 13.

6. *Cur Romani, cum cetera templa Deorum omnium per gradus aſcenderent, in ſolius Conſi, Dei conſiliorum templum deſcenderint?*

Sturc. ad l. conſilii. 47. n. 6. D. R. I.

7. *An ſatius ſit jejunos deliberare, quàm ſaturos, & an conſultationes quæ fiunt à prandio, valere, & vim decreti obtinere debeant?*

Bodin. 3. de Repub. c. 1. Innoc. Gentilet. 1. adverſus Maccia.

Macciav.theo.2.Guazz.1.de civ.converſat.pag.573. & ſeq.

8. *Vtrum præſtet ad Reſpub. ſalutem mali Principis bonos Conſiliarios, quàm boni, malos exiſtere?*

Innoc.Gentilet 1.adverſ.Macciav.theor.1.

9. *Vtrum Conſiliarius, ſi è re eſſe credat, fallere debeat Principem? & an aliquando legati, Oratores, Commiſſarii Principum, ex nova cauſſa ex tempore pro re nata limites mandati ſui pro utilitate & in rem Domini excedere poſſint?*

pulcrè Gail.1 de pac.publ.c.4.n.30. Coſt.& alii ad l. ſi hominem.30.per illum text. D.mandat. Rutger.Ruland. in tr.de commiſſ.Cam.part.1.lib.3.c.4.Perrenon.1.animadverſ.jur.c.24 Pontan.4.de obedien.c.13.Hipp.à Collib. in Palatin.pag 37.& ſeqq.Scip.Gentil.lib.3.de legat.c.16.

10. *An aulico tanquam legato oblata pertineant ad ipſum, an verò ad Principem qui ablegavit?*

Coſt. ad l.qui proprio.D.procur.VVeſenb.in paratit. D.legat.in fin. Menoch.3.præſumpt,27. Hartm.Hart.in pract.obs.tt.53.de V.S.obs.12.

11. *An Conſiliarium ita deceat in patriam & Rempubl. animatum eſſe, ut eam ſemper defendat, ſive id honeſtè fiat, ſive cum ignominia?*

12. *An geſta per Conſiliarios indiſtinctè obligent ipſum Principem?*

Neg.ex trad.per Beuſt.ad l.nam poſteaquam. §.ſi petitor.n.8.D.jurejur.

Hypotheſis cum quæſtione.

Pater qui tres liberos habebat, Philoſophum, Medicum, Oratorem: moriens, teſtamento eum heredem fecit, qui eſſet uti-

In politicas Exercitationes Clariſſ. & Conſultiſſ. viri Dn. HIEREMIAE SETSERI I. V. D. & Philologi celeberrimi, Epigramma.

SEu ſacra enucleas legum, monituſque ſeveros,
Guelphica Saxonicis ſeu confers Iura, ſubacti
Enthea Iudicii ſpirant tua cœpta vigorem:
Omnia planiloquo claras ſermone, nec atrâ
Obtenebras rerum, verbi caligine, lucem:
Quicquid agis Genii SETSERE calentibus auſis,
Doctrinæ ſpargis proſemina, ut inde juventus
Serta legat, ſarta ut Reſ. publica tectaq; perſtet.
Præcipuè cum jam paucis diſperſa rotundas
Dædala politices ſcita, ac decoctiùs edis,
Publicitusq; paras argutâ voce tueri,
Quàm bene de ſtudiis publicis privisq; mereris!
Vtibile illuſtras, ne pulcro diſcrepet uſus;
Delirl fatui eſt, caneſcere rebus omiſsis,
In verbis, hirtæ ſectantem verbera linguæ,
Griphosq; errantis monſtroſaq; ſenſa cerebri.
Hos umbraticolæ niſus locuplete notabunt
Calculo, & acceſsâ ſpiſſam minuiſcere noctem
Luce fatebuntur: pariter queis cura regendæ
Curiæ erit quondam credenda, laboribus uſi
Laudiparis, SETSERE tuis, ſuper aſtrica ſigna
Teq; operamq; tuam tollent: qui mellea ſpernit,
Fellea guſtabit, cerebro fungoſus hebenti.
Ars fictrix animi palmam tibi procreat iſtam,
Ventilat & ſuperat Victrix labor ardua quævis.
At tu qui tanto Clariam ſub Præſide pugnam,
Vvulferſdorfiadum GODFRIDE ô nobile germen,
Depugnas, mentis generoſæ imitare coruſca
Seminia, & felix exæqua nominis omen;
Iehovamq; pia: prudens his artibus olim
Florida conſiliis firmes pomeria regni
Auſonii, pacem foveas: ſic vena paternæ
In te virtutis vivat, ſic perpes honoret
Æternetq; tuo nomen cum Præſide FAMA.

David Heſſus LL. St. f. Ienæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.